

3.
FASTI
RADIVILIANI
GESTA
ILLVSTRISSIMÆ DOMVS
DVCVM
RADZIWIE
COMPENDIO CONTINENTES.

Auctore
ALBERTO WIIVK KOIALOWICZ SOC. IESV
*Sacrae Theologiae Doctore, eiusdemq; in Vniuersitate
Vilnensi Ordinario Professore.*

V I L N Æ
Typis Academicis Soc. I E s v., Anno Christi
M. DC. LIII.

Ishlein

E. XIX/399

A D
Illustrissimum ac Excellentissimum
PRINCIPEM DOMINVM D.

IANUSSIVM RADŽIWIL

Ducem in Birze & Dubinki , S. R. Imp;
Principem, Dominum in Neuel & Sie-
biez, Palatinum Vilnensem, Exercituum
M. D. L. Ducem Campestrem, Kasimi-
riensem, Borysouensem, Kamene-
censem, Bistricensem, Seywiensens.
Vilkensem, Loiouensem,
Retouiens: Lubecensem,

G V B E R N A T O R E M.

**H**ISTORIÆ LITVANÆ im-
pari calamo nuper à me inchoatæ,
cum ulteriores libros tardius , quam
plerorumq; vota ferrent, prosequerer:
ad leniendam moræ intolerantiam , de
Compendio cogitare cœpi , Princeps Illustrissim. At quod
illud

illut *absolutius* promere potuissim, quam *Illustrissime*
Tuae Domus fastis illigatum? Tot enim, tamque,
varia, atque ita ampla eius gesta sunt: ut nihil ferè
in reliqua Lituaniae Historia curiosissimus quisque dignum
memoria repererit, in cuius partem Duces R A D I V I-
L I non venerint. *Quemadmodum* vero in triumphali
Domo Celsitudinis Tuae, Compendium Historiae Li-
tuanae, ne inuidus quidem non videat: ita in Te ipso,
Illustrissime Princeps, vniuersae Domus, Meritorum
Honorumque agnoscimus Compendium: quod ego huius
leuidens opelle oblatione veneror. Deditissent vti-
nam Superi, ne antequam Palatinatus Tui Principem
Vrbem Vilnam auspicio ingredereris, Vniuersitas Vil-
nensis, ob contagij pericula dilapsa fuisset! De-
monstrasset proculdubio Orbi suâ facundiâ, quanta hac
sit Ilias, quam exigua mea facultas, velut nucleo,
compendio in arctum egit. Sed quod magnum infor-
tunium nostrum est: iniquitas temporis eripuit, hanc
obsequij debitam materiem. Nihilominus *Illustrissi-*
me Princeps, etiam in eâ, proni in Te affectus
officia non desideraueris: si me, eius vice hoc
exiguo opusculo, Tui Palatinatus Auspicia veneran-
tem, non repuleris.

Illustrissimæ Celsitudinis Tux

Cliens

A. W. K. S. I. S. Th. D.

FASTI RADIVILIANI

Vgustum Radiuilio-
rum genus , longè al-
tiùs repetendum est ,
quàm nomen ipsum
ferat. Ita enim olim mos Lituano-
rum ferebat : vt , siue quòd virtutis
potiùs , quàm nominis successione ,
auos referre mallent ; siue quòd si-
bi quisque ad nomen solus satis esse
contenderet ; filij nomina parentum
non retinerent , neque gentes cer-
tis appellationibus discriminaren-
tur. Èâ de causâ insuperabile pro-
pè negotium redditum est , nunc
Lituanas Familias ad primos ortus
reuocare. Tantùm damni attulit ,

A belli-

bellicosam illam gentem , ac plurim hostium triumphaticem neq; literas , neque scriptores domi habuisse ! Quanquam vero ex Russorum fastis aliqua depromi possint : ea tamen & pauca sunt & manca , atq; ex his pleraq; ætati nostræ propiora : reliqua , seniorum duntaxat narratione ad posteros transmissa . Inter hascè antiquitatis nebras non tam exigua est Illustrissimæ Domûs Radiuillianæ claritas ; ut mentis aciem , quæ veritas affulgeat , intentius dispicientem , suo fulgore non perstringat .

Narymundus è posteris Iulianus Dorsprungi Dziewaltouię Ducis gen' e Centauri , Magnus Lituaniæ Dux , Dowmandum fratrem Vcianæ Principem , domesticō scelere irritatus , bello petitum ac victum Patriâ

Patriâ eiecerat.^a Narimundo sub-
lato redijt ad scelera Dowmandus,^{a 1281.}
Troidenum fratrem Narimundo
successorem datum , immisis per-
cussoribus vitâ ac Principatu exuit;
mox Patriæ bellū , nepotibus exci-
dium indixit. Ad eum nuncium Lau-
rus Troideni filius è religioso quo
se incluserat, claustro, ad arma pro-
dijt , trucidatoq; in prælio suâ ma-
nu Dawmando , in Vitenem , cuius
insigni operâ , eo bellô vsus fuerat ,
Magni Lituaniæ Ducis titulos trans-
tulit. Tot , tantisque domesticis
cladibus ereptus operâ nutricis in-
fans Narimundi filius , sacrorum
Regi Kriue-kriueito traditus est.
Pontifex , ne tanti sanguinis infan-
tem incertis noui Principis affecti-
bus permitteret , atq; ad aras secu-
rius educare posset , à Superis se

Az

mo-

monitum comminiscitur. Natu
jam grandi maturè de successore
cogitandum , quem astrorum , ac
religionum peritiâ à puerò imbue-
ret : neq; alium deligendum , quām
quem Superi designāssent , in syluis
Deorū nutu latenter. Id cōmen-
tum cùm apud Principem,fidem re-
perisset ; puerum decentibus cunis
inclusum , ad eam syluarum partem
quā Princeps ad venationem iturus
sperabatur , exponi curauit. In-
uentus itaque est ab ipso Vitene
puer , & vernaculâ linguâ à nido ,
Lizdeico dictus : mox Pontificis
educationi commendatus. Cùm
capacem institutionis ætatem atti-
gisset , astrorum patriarchumque reli-
gionum peritiâ apprimè eruditum ,
primùm sibi Successorem, Regemq;
sacerorū Lizdeiconem inaugurauit ,
tum morti proximus fabulam

Principi aperuit. Vitenes re
compertâ Lizdeiconem Narimun-
diadam, Troideni (cuius benefi-
cijs in eam magnitudinem creue-
rat) nepotem, enixiūs colere cœ-
pit, atq; vt Fortunam eius sangu-
ni debitam, sed fatorum vi sibi de-
latam, cum eo partiri videretur, fi-
liâ suâ ei elocata, generum voluit.
Hic deinde Lizdeico Gedimino
Magno Duci Lituaniæ Vitenis filio
Vilnæ Arcis ac Vrbis, eō quō sita est
locō, condendæ, auctor fuit. Re-
liquit filium Wirszylonem, Olger-
do coætaneum. Cùm igitur Syr-
putius nepos Lizdeiconis Iagelo-
nia tempora attigerit, eundem cen-
seo esse, qui sacris Christianis ini-
tiatus, Cristinus est nuncupatus,
Magni Ducatūs Lituaniæ Cancel-
larius, & Vilnensis pro Principe
Gubernator, quod genus officij

a 1321.

nunc Palatinis competit. An verò
vel Lizdeico ab ædificandæ Vilnæ
confilio, Radiuili (Lituano aut Rus-
so idiomate, quod vtrumq; eâ tem-
pestate in Curia vigebat, & nomi-
ni congruit) agnomen sortitus sit,
aut eius proxima proles in vsu ha-
buerit, statuere nihil possum. Illud
tamen ex Lituana Historia comper-
tum habeo; ante Hosticonis filium
Radiuilem, fuisse magnæ auctori-
tatis in Lituania viros, qui id agno-
minis usurparunt. Nam Iagelo-
ne necdum Christiano, per Magnū
Lituaniæ Ducatum, Supremi Prin-
cipis locum obtinente, in expedi-
tione contra Polonos ad Zauichos-
tum suscepτā^a, Radziuili nomen
proditum lego. Fausto profectō
auspicio hoc nomen ei erat, qui
expeditione illā præcipuus auctor
cele-

celebris victoriæ fuit : vt vel hinc
intelligeretur nomen hoc , Trium-
phorum sementem esse. Habe-
bat Iagelo ad latus fidum à Consi-
lijs Senatorem , fortē in rebus a-
gendis Legionis Tribunum, Radzi-
uium : hic , quomodo exercitus
absque ponte , exundantem Vistu-
lam traiiceret, quomodo Zauicho-
stum arx , absq; machinis bellicis ,
expugnaretur ; consiliō , & exem-
plō , feliciter ostendit , ac perfecit.
Cūm deinde idem Iagelo ad Polo-
niæ Regnum euēctus , ditionem ,
gentisq; Lituanæ cum Polona , in
vnam Rempublicam vnionem per-
petuis fœderibus stabiliret : ^a ad ^{a 1401.}
prima huius Societatis rudimenta ,
publicis literis consignata , vt fir-
miora essent , nomen Radziuili ac-
cessit. Inter cæteros enim Princi-
pes

b 1413. pes Viros , subscrisit illis pactis
Woyszundus cum filio suo Radzi-
uiolo. Meminit præterea Bielscius
atque ex eo Okolski , in Comitijs
vtriusque Gentis , Hrodlæ celebra-
tis , ^b Radziuili. In ijs Comitijs ,
armorum , pacis , ac vnius Reipu-
blicæ societas Lituaniæ inter Po-
loniamque nuper inita , inter Prin-
cipes vtriusque gentis Familias , fra-
ternâ prærogatiuarum , insignium ,
ac stemmatum communione (agen-
tibus id Vladislao Iagelone Rege ,
& Alexandro Vitoldo Magno Du-
ce) firmabatur. Hâc itaq; occa-
sione Radziuolum arma Sulima su-
scepisse memorati tradiderunt. Ve-
rûm non Radziuolum eum fuisse ;
sed vel Roduolum , vel Bodiuolum ,
diuersæ familiæ caput , istarum ipsa-
rum rerum monumenta testantur.

Cæte-

Cæterūm in ijs Comitijs dignum
 Radziuilo nomine stemma (vt in eo
 sedem fixam famæ credas) dictum
 Træmbki , nimirum tres Tubas , sū-
 scepit Gregorius Hostik , Vilnensis
 Gubernator , Magni Ducatūs Li-
 tuaniæ Mareschalcus & Exercituum
 Dux , Lizdeiconis Pronepos , filius
 Syrputij , Parens Nicolai Radiuili , à
 quo deinceps nomen hoc heredi-
 tarium (nam stemma cum varijs
 Hostikonis nepotibus commune
 est) in sola Illustrissima Radiulia-
 Domo mansit.

Hic NICOLAVS RADIVILVS , apud
 Alexandrum Vitoldum , Magnum
 Ducem Lituaniæ , Mareschalc⁹ Cu-
 riæ , & Militiæ Suprem⁹ Præfectus
 in Scythiam cum exercitu missus^a ,
 negotium ex voto Principis felicif-
 simè confecit . Scythis vltra-Vol-
 B gensi-

gensibus Vitoldi stipendiarijs Soldanus Zeledinus imperabat: illo mortuo Vitoldus filium Tachtamirem successorem destinauerat: sed alter filius Kieremferden regnum paternum occupauit, occisoq; fratre, ac milite eius profligato, imperium nouâ victoriâ firmatum, in uito Vitoldo obtinebat. Missus est itaque Radiuilus, qui contumacem Regulum regno depelleret, fratremque eius Ieremferdenum, Vilnæ à Vitoldo ad auitos fasces inauguratum, subrogaret. Pugnatum ad Volgam fluuium: fugatus Kieremferdenus: Ieremferdeno imperium assertum. Victoriæ eius tanta apud finitos æstimatio fuit, ut Ediga apud Tamerlanem Tauricæ Chersonesii Imperatorem militiæ Præfectus, muneribus Vitoldo missis

missis, ad mutua foedera sponte Lituanos inuitârit, & auxiliares copias ad quasuis expeditiones obtulerit. A sago ad togæ negotia versus, magno usui fuit eidem Vitoldo: ^a quando is operâ Sigismundi Cæsarî, Crucigerorum Prutenicorum animos, ad perpetua cum Polonis Lituanisq; foedera tentare aggressus est. Ob insignia in Republicanam & Principes merita honoribus auctus, Rumboldo in officio Supremi Magni Ducatûs Lituaniae Mareschalci successit. ^b Cùm ^b 1440 proceres perosi Tyrânidem inauditam Sigismundi Kieystutiadæ Magni Lituaniæ Ducis, eum Trocis occidissent: ^c egit plurimùm, effecit-^c 1440 que, ne alias quam Casimirus Jagellonides, annorum sedecim iuuenis, Dux Magnus, renunciaretur.

Sub initia illius Principatūs, Scythę
Tauricani à morte sui Imperatoris,
domestica dissidia veriti; quod nul-
la ex eo mascula proles superesset:
Aczkierium, ut Casimirus illis in
Lituania exulantem præficeret, mis-
sā legatione impetrārunt. Inau-
guratum Vilnæ Aczkierium, jussu
Principis, Nicolaus Radiulus, in
Scythiam reduxit, nouarum re-
rum auidos, expedito exercitu ter-
ruit, Principis Lituani auctoritatē
in Scythiae Regulos stabiliuit. In
Polonię quoq; ad Petricouiensia
Comitia, Casimiri Ducis, ac Or-
dinum Lituanię nomine, princeps
legationis iuit.^a Difficili planè tem-
pore. Post Varnensem Ladislai Ia-
gellonidæ, Poloniæ ac Hungariæ
Regis cladem, Lituanos inter ac
Polonos, neqdūm ab recente ortu,
annis

annis roboretæ Vnioni , de Podo-
liæ possessione contentio , ruinam
minabatur. Casimirus quoq; ani-
mo in Lituanorum factionem pro-
niore , ita in Polonorum offensio-
nem incurrerat , vt ab illis ad ele-
ctionem noui Regis congregatis ,
consilia de prætereundo Casimiro
agitari cœperint. In tam lubrico
statu , prudentia Radiuli Sceptrum
Polonum apud Iagellonios detinuit.
Functus est deinde summis in Patria
honoribus : Palatinus primūm
Smolenscensis ; tum Vilnensis , si-
mulque Supremus Magni Ducatus
Lituaniæ Cancellarius : triumpha-
lē vitam in longæuam senectutem ,
plusquam centenarius produxit.
Filiorum aliquos , quos ex Monui-
downa Iagellonis Regis consobrinā
suscepserat , collegas in Senatu vi-
dit.

dit. Viuum adhuc Parentem æquis
passibus æmulabatur , tūm Alber-
tus , Georgius , Ioannes , Radiuli ;
tūm in primis NICOLAVS primogeni-
tus.

b 1452. Aperuit illi campum vltra-Vol-
gensium Scytharum perfidia contra
fœdera Podoliam Polonæ ditionis
infestantium.^b Acturus de viola-
tis fœderibus , illatisque iniurijs ,
oblatam à Lituaniæ Ordinibus le-
gationem , animosè suscepit . In
eo itinere Tauricanorum insidijs ex-
ceptus , omnibus amissis , ægrè ca-
put periculo extulit . Adduxit
secum in Patriam Sachmatum Re-
gulum , qui à Tauricanis victus , in
Lituania asylum quæsiuit : licet ob
quasdam conspirationes de nouo
attentatas , Caunæ in custodiam sit
detrusus . Alexandro quoq; Prin-
cipi ,

cipi , tum in multis alijs negotijs ,
tum maximè in Lituanorum Polonorumque Vnione renquandâ : vtil-
lem operam nauauit.^a Cùm enim
Ioannem Albertum , Polonorum :
& Ladislaum , Hungariæ ac Bohe-
miæ Reges fratres , Turcici belli
cura vrgeret , omnino necessum e-
rat , ne quid domi malè compactum
relinqueretur. Itaque ut è bono
publico , tum vnionis foedera in-
nouarentur , tum jura Equestria in
Lituania per Alexandrum firmaren-
tur , laborauit ; iam tunc Pincerna
Magni Ducatûs Lituaniæ , & terræ
Bielsensis Gubernator. Eodem
anno celebri illi prælio ad Wiedru-
sam cum suo milite interfuit : vbi
infelici quidem euentu , sed admi-
randâ fortitudine tria millia , quin-
genti milites Lituani , Moschum ,

cui

^a 1499.

cui præter pedestres copias , qua-
draginta millia equitum erant , Du-
ce Ostrogo agressi sunt . Non
multò pòst , à Ioannis Alberti de-
cessu , sub interregnum ,^b cùm quo-
rundam factionibus Alexander spe
Regni excluderetur , isque vim Po-
lonis inconsultam appararet , lega-
tione priùs negotium tentatum est .
E tribus legationis Principibus , ad
Comitia Petricouiensia fuit Nico-
LAVS RADIVILVS . Ibi aliqua constitu-
ta sunt magno Reipublicæ com-
modo : nimiriūn ut quanquam vtra-
que natio leges , judiciorumq; for-
mam patriam retineret , Respubli-
ca tamen vna , vnusq; Senatus ex
vtraque conflatus deinceps esset .
neque Comitia de eligendo Princi-
pe alibi , quàm in Polonia eodem
loco ab vtrisq; celebrarentur : ele-
ctus-

etusq; ita Princeps , simul Rex &
 Dux agnosceretur. His ita consti-
 tutis , facilè in Alexandrum Polo-
 ni inclinârunt ; NICOLAVS deinde
 quanquam Regis gratiâ floreret :
 constantissimè tamen semper cauit,
 né alicubi Principis intuitu, Reipu-
 blicæ , jurium , ac ciuium integrita-
 tem desereret. Versutus homo
 Dux Glinscius , persuaferat Princi-
 pi , vt Christophoro Ilinicz Præ-
 fecturam Lidensem , nullo crimine
 intentato , adimeret : & Equiti suæ
 factionis Andreæ Drozdzæ attri-
 bueret.^a Id verò cæteri Proceres ^{a 1505.}
 Lituaniæ ægrè ferre : viro nullius
 criminis , cui capitis aut famæ pæ-
 na statuta esset , conuicto , publico
 officio ex solo Principis arbitrio
 spoliato compati : contra leges , in
 quas recenter Princeps ipse jurâsse

C

hæc

hæc patrata esse, inter se queri. Quare auctores, atque inter illos præcipue NICOLAVS RADIVILVS Ilinicio fuerunt, ut contra edictum Principis, auctoritate Senatus Præfecturam Lidensem retineret. Offensus Rex in Proceres, Nicolaum Radivilum in suas partes trahere conatur: eaque de causa Duci Zabrzewino Mareschalco Lituaniæ, Palatinatum Ttocensem ademptum, Nicolao offert. At hic nouâ dignitate auctus, nihil magis Regi obnoxiū constantiam retinuit. Grauissimis dissidijs Principem inter & Proceres ferendis. Glinscius inde materiam arripuit, eoque jam Regem suis artibus deduxerat, ut Comitijs Brestiam indictis, præcipuos è mediō tollere destinauerit. Feralibus consilijs per Cancellariū Regni

Regni proditis , Proceres Brestiam
non intrârunt. Glinscianæ verò
fortunæ cursum non parùm retar-
dauit mors Alexandri,^a & Sigismū-^{a 1506.}
di successio ; qui eodem anno IOAN-
NEM RADIVILVM , Magni Ducatus
Lituaniæ Mareschalcum , in Mo-
schouiam expediuit. Albertum
autem Radiuilum , Româ , quam
Julio II. Pont. Max. adiuerat , redu-
cem , sequenti anno , Alberto Ta-
borio defuncto , Episcopum Vil-
nensem nominauit.^b Tandem Glin-^{b 1507.}
scius , cæso suo æmulo , Duce Za-
brzezinio , Mareschalco Lituaniæ
Supremo , in apertam rebellionem
erupit ^a: & in Moschouiam profu-^{a 1508.}
git. In eo negotio Ioannes qui-
dem Radiulus , legationem in Mo-
schouiam sumptuosè obijt ; Nico-
laus verò in castris Regias partes
fecu-

b 1509.

secutus : meruit , vt in præmium
 fortitudinis, ampla perduellis Glin-
 scij per Podlachiam bona , Go-
 niądz & Raigrod à Rege accipe-
 ret.^b Palatinus deinde Vilnensis, ac
 Supremus Magni Ducatūs Litua-
 niæ Cancellarius renunciatus, vtrū-
 que officium cum dignitate susti-
 nuit. Aberat fortè Sigismundus
 rebus Polonis intentus : itaq; He-
 lena Moscha Alexandri Regis reli-
 cta Vidua , quorundam artibus in-
 structa , abitum Vilnâ cum ingen-
 tibus thesauris ad Magnum Mo-
 schouiæ Ducem fratrem suum si-
 lentio , adornabat. Sed quæ occul-
 tè satis administrabantur , pruden-
 tiâ suâ Palatinus Vilnensis deprehé-
 dit. potentia & auctoritate distur-
 bauit , Reginâ ex itinere Vilnam
 a 1511. reductâ.^a

Inter-

Interea verò junior Nicolai fra-
ter GEORGIVS RADIVILVS , militari-
bus ausis ad Imperatoriam , quam
Pater habuerat , clauam viam sibi
sternebat. Cum Georgio Olecko
Slucensium Duce , affine suo , alijs-
que , Tauricanos Scythas , à Kijo-
uiensi vastatione cum præda rede-
untes , 20. vltra Kijouiam leucis af-
secuti , ad Rutkum profligârunt.
Neque minùs fortiter rem gessit al-
tero anno cum eodem hoste. Ad
nuptias Sigismundi sub ipsa ante
Quadragesimam hilaria , frequentes
Proceres Cracouiam cōuenerant. ^{a a 1512.}
Hâc occasione vsus Mendigerey ,
Tauricanorum Regulus , vacuam
propugnatoribus Russiam cum vi-
ginti quinque armatorum millibus
inuaserat. Mox Georgius cum cæ-
teris , ac in primis Constantinô O-
strogio

^b
April. 28.

c 1514.
Sept. 8.

Ostrogo , Lituanarum copiarum
Duce , ad arma , & castra . Pugna-
tum integro die^b ad Wisniowiec :
amissis Regijs centum , ipsum hosti-
lis exercitūs robur profligatum ;
Regulus in prælio , tribus filijs cum
genero , amissis : fugâ éuasit . Co-
hortes quæ ad vastandos agros ex-
currerant , duodecim , diuersis locis
cæsæ . Simili fortunâ Georgius
eodem Duce Ostrogo , Orszam in-
ter & Dambrounam , contra Cela-
dinum Moschum ad Kropiwnam
amnem pugnauit .^c Ducebat Mo-
schus octuaginta millia armatorū .
Fugatæ tamen vtrinq; hostiles alæ .
Stabat adhuc immota acies media :
at vbi Georgius in eam Equitatum
duxit , non diu vestigium tenuit .
Fusi vndique hostes : quadraginta
millia in campo cæsa . Celadinus
cum

cum decem Palatinis captus. Mo-
schouiticum contra Lituaniā bel-
lum tum maximē alebatur Maxi-
miani Cæsarīs factionibus: sed is
huius victoriæ fortunam reueritus,
tandem consilia aliō flexit. Ladi-
slaum Hungariæ , germanumq; e-
ius Sigismundum Poloniæ, ac filium
Ludouicum Bohemiæ , Reges ca-
ptare : ad fædera & affinitates inui-
tare ; atq; rebus firmiūs stabilien-
dis , omnes vt designato loco con-
uenire ac colloqui vellent, suadere.
Itaque Maximilianus vt consilia in
Turcam vniret , Sigismundus vt
Maximilianum à Moscho abstrahe-
ret ; ad Possonium cum Ladislao &
Ludouico sunt congressi. Aderat
huic congressui , à Sigismundo Co-
mes itineris Possonium , & Vien-
nam , lectus , NICOLAVS RADIVILVS ,
vbi

23

a 1515.

April. 16.

vbi Regem in affinitatibus contrahendis, foederibusque paciscendis consilio multum juuit: magnificentiam autem comitatûs Regij, ad admirationem Legatorum, qui à varijs Principibus aderant, auxit: tum cæterâ aulâ, tum cohorte integrâ Equitum, Musices peritissimorum, exquisito ornatu ad Moschorum & Scytharum morem excultorum. Sigismundo in alia intento, bellum vnde nihil timebatur, exoritur. Albertus Brandenburgicus, Equitum Theutonicorum in Prussia Magister, in spem Ducatus Samogitiæ Lituanis eripiendi venerat, collecto justo exercitu, pedestrium eque striumque copiarum partem, Samogitiæ immittit: d quæ successuro mox bello, vastationibus præluderet.

d 1516.

Pericu-

Periculo huic, vigilantiâ ac fortitudine IOANNIS RADIVILI, Supremi Ducatûs Samogitiæ Gubernatoris obuiatum est. Collectam ille ocîus nobilitatem in campum eduxit, vastatores circa Ragnetam deprehensos cecidit. Magistrum à suscepti belli cogitatione absteruit. Iam Radiuili nominis fama fulgorque, non patriam modò, sed etiam exterios peruaferat. Quare Maximilianus Imperator (occasione ni fallor, nuptiarum, quæ Cæsaris operâ inter Sigismundum & Bonam Sfortiam, Ioannis Ducis Mediolanensis filiam tunc celebabantur^a) familiæ caput Nicolaum ^{a 1518.} Radiulum, veluti maximis quibusque honoribus parem, suorumq; fratribus, Masouiæ & Russiæ Ducū, auunculum, S.R.I. Principem crea-

D uit;

uit; Ducalibusque in Goniadz &
Medele titulis ornauit: gentili-
tium stemma, Aquilâ nigrâ, Duca-
li pileo cumulatâ, cumulauit. At
Nicolao in summis meritis, tam
alienus ab ambitione externorum
titulorum animus, quâm par ad o-
mnia dignitas erat. Noluit illis
insignibus vti, nisi consensu suo
Rex & vniuersi Ordines in comitijs
Brestiæ habitis, non tam rata ea ha-
buissent, quâm inuito, veluti de
Republica meritissimo, imposui-
fent; ^b titulus hic ita fatis volenti-
bus ad paucos propagat⁹ est. Nam
è tribus filijs, quos ex Anna, Duce
Nasilowska susceperebat, Nicolaus
Radiuilus primogenitus, in Eccle-
siastico statu Episcopus Samogitiæ,
continentem vitam egit. Stan-
laus adolescens mortuus. Ioannes
primūm

primūm Pincerna Magni Ducatūs
Lituauiae , deinde Supremus Samo-
gitiæ Gurbernator , absque mascu-
la prole deceffit. Nihilominus ut
virtus & merita in alijs cursum non
abruptere ; ita honor , virtuti debi-
ta vmbra nusquam destituit.

Sequens annus^a funestus simul ^{a 1519.}
& triumphalis fuit Familiae. Cu-
pressum intulit , mors ALBERTI R A-
DIVILI Episcopi Vilnensis , vitâ fun-
eti , qui suâ ætate , Pater egenorum ,
& solamen afflictorum , dici meruit.
Vir multis memorabilis : ac in pri-
mis , quod Patri suo vndecentena-
rio , sacra omnia in supremis , ipse
Catholico ritu admistrauerit. Lau-
ream verò dedit victoria Georgij
Radiuili tunc Palatini Kijouiensis ,
Exercituum Lituaniæ Ducis Cam-
pestris. Rebelles spiritus rursus

D 2 resum-

resumpserat Albertus Brandenburgicus, & Polonos fines infestare cœperat. Georgius igitur Lituanos in Prussiam duxit: Alberti copias aliquot locis fudit; bellumque illud, tamdiu feliciter administrauit, donec coactus Magister pacem mendicare, inducias à Sigismundo in quadriennium impetrauit.^b Pax sequentium annorum materiam bellicæ virtuti subtraxit: quam tandem Scythicæ incursions suggerunt. Grassabantur frequenter prædonum more, per Poloniā, Russiam, Lituaniam Scythæ, ex ijs quæ rapuissent, viuere assueti. Significatur igitur triginta quatuor barbarorum millia, Podoliā &

Podguriā vastare.^a Id periculum magis ad Polonos spectabat: nihilominus auctore Constantino Du-

ce

ce Ostrogiō, inter Lituaniæ Pro-
res conuenitur , vt hostem lectis de
proprio copijs inuadant. Inter
primos adest Georgius Radiuilus ,
jam tunc ex Kijouiensi Trocensis
Palatinus. Quadraginta vltra Kijo-
uiam leucis exercitus ducitur. Ho-
stes vincuntur : viginti quatuor
millia cæduntur , atque in his Im-
braimus Basza Tauricanus Turca ;
spolia & 80. millia captiuorum reci-
piuntur. Verbo ita se vbiq[ue] ges-
fit Georgius , vt mortuo Ostrogiō^b^{1533:}
solus ille ex merito tanti viri futu-
rus successor æstimaretur. Itaque
Castellanus Vilnensis, & Supremus
Magni Ducatus Lituaniæ Exerci-
tuum Præfectus à Sigismundo Au-
gusto est renunciatus. Iudicium
eâ de re Principis, variæ eius contra
Moschum expeditiones comproba-
runt :

runt: sed in primis ea, qua Home-
lum vi occupauit.^c Successit dein-
de longè maior victoria, cùm Sta-
rodubum Seueriæ arx atq; ciuitas,
quam sexaginta millibus militum,
Owczyna Moschus tuebatur, ca-
ptum euersumque est: hostes verò
cum ducibus ac præfectis tot, in
potestatem redacti, vt captiuorum
numerus victores longè plūs exce-
deret. Heros hic fortissimus qui-
busque ex æquo comparandus, plu-
ribus anteferendus, meritis quām

annis grauior decessit.^a Reliquit
superstites sibi ex Barbara Wolska,
Barbaram & Annam filias, filiumq;
Nicolaum Radiulum, à quo de-
scendunt Radiuli Duces in Birze,
& Dubinki. Atque ut quandoq;
tristia latius exundant, sequens quo-
que annus^b è viuis abstulit Ioannē
Radi-

Radiuillum , secundum & ultimum
Ducem in Goniædz , Generalem
Samogitiæ Gubernatorem.

31

Supererat è grandioribus natu,
I^OANNES Castellanus Trocensis , E-
xercituum Lituaniæ Dux : apud
quem Barbara Radiulia neptis , a-
missa viro Stanislao Gastoldo Pala-
tino Trocensi agebat . Huius Bar-
baræ Augustus Rex (post mortem
conjugis Elisabethæ Austriæ , filiæ
Ferdinandi Regis Romanorum)
connubium ambire cœpit .^c Perspi-
ciebat satis recte Ioannes , quantæ
apud alios inuidiæ , apud Sigismun-
dum verò & Bonam , Augusti Pa-
rentes , offensionis res ageretur . Ne
repentè in vtrumque impingeret ,
ita Principis votis cessit , vt cognati
duntaxat præsentibus ex Chri-
stiano ritu matrimonium iniretur .

Adfuit

a 1546.

b 1547.

Adfuit inter cæteros Nicolaus Io-
annis filius , cognomento Niger ,
ante annum Supremus Lituaniæ
Mareschalcus renunciatus. Hic
tum quod absque mascula prole
extincto Ioanne Samogitię Guber-
natore , Ducalis in Goniądz tituli
terminum accepisset , tum ut Au-
gusti nuptias honoratores redde-
ret , concessum olim Nicolao di-
ploma , ut ad nepotes extenderetur
apud Carolum V. Cæsarem effecit.
Itaque qui superstites erant S. R. I.
Pricipes creati sunt. Nicolaus
quidem cum germano suo Incisore
M.D.L. Ioanne , Duces in Ołyka &
Nieswiez dicti ; alter Nicolaus ,
(ReginæBarbaræ germanus)Dux in
Birze & Dubinki. Acta hæc à
Sigismundo I. Rege , & Comitijs
Petricouiensib⁹ firmata sunt.^b Ma-
trimo-

trimonium verò Sigismundi Augu- 33
sti cùm variorum ingenia, variè per
biennium ferè exercuisset: Augu-
stus post mortem Parentis, ^c Vilnæ ^{c 1548,}
conuocato Senatu palam testatus
est: ^d posteaquam ille seruatis inte- April 17.
grè Christianis legibus, semel ma-
trimonium contraxisset: nequic-
quam illud impugnari. Quieuer-
re eâ de causâ Lituani, sed Poloni,
& Regina mater, negotium face-
sebant.

Effecit nihilominus suâ con-
stantiâ Rex in Petricouiensibus co-
mitijs, vt BARBARA, Regina agno-
sceretur, & solemnibus ceremonijs inaugurate, Diadema Polonum
sumeret. ^e Inde Rex ad affines ^{e 1550,}
suos Radiuilos ornandos versus:
Nicolaum Conjugis suæ germa-
num, Ducem in Birze & Dubinki,

E Palæ.

Palatinum Trocensem renunciauit,
& a Koydanouiensi territorio dona-
to, patrimonium eius auxit. Ni-
colao alteri, Patrueli fratri, supre-
mi Lituaniæ Cancellarij, titulos
contulit. Dissidia quæ inter Pala-
tinum Trocensem, & Stanislaum
Kiszka Palatinum Vilnensem, non
leuia intercesserant, auctoritate suâ
composuit. Verum ut inter au-
spicatissima quæque difficile est
omnes aditus mærori intercludere:
tot inter gaudia intercessit mors
IOANNIS RADIVILI, Ducis in Oly-
ka, Magni Ducatus Lituaniæ Stru-
ctoris, seu (vti hic usus dicendi
fert) Incisoris, qui Carolo V. Im-
peratori & Sigismundo vtrique I.
& II. Regibus carissimus, cum se
ad connubium promissum, cum fi-
liâ Ferdinandi Gonzagæ Principis

Mal-

Malphetæ , compararet ; magno
non domesticorum modò , sed &
publico luctu Vilnæ obijt : dedu-
ctus ad funus ab ipso Rege . Eo-
dem anno , Barbara Radiuilia , Re-
gina , morbo à die Coronationis ,
(non absque suspicione veneni , per
Italum Medicum propinati) con-
tracto ; regnum & vitam depo-
suit . Bellum interea Moschus
perurgebat , quod ut sisteretur ,
quantum priuatis legationibus duo
Nicolai Radiuili , Palatinus Vilnē-
sis & Trocensis allaborarint ,^b Mo-
schouiticarum Legationum com-
mentarij attestantur . Amissâ Bar-
barâ Conjuge Augustus , de Ma-
tris suæ consilio , ad alteram Fer-
dinandi Romanorum Regis filiam ;
Catharinam , Francisci Gonzagæ ,
Mantuani Ducis relictam viduam ,
ducendam animum adjecit .

Legatus in eo negotio NICOLAVS
 RADIVILVS, Palatinus Vilnensis, Su-
 premus Lituaniæ Cancellarius, &
 Mareschalcus, rem ex voto con-
 fecit.^a Nuptias ipsas sumptuosissi-
 mo ante alios apparatu, ornauit.
 Iam tunc auitæ religionis permuta-
 tio, finitimas Lituaniæ Prouincias,
 Prussiam ac Liuonia latè peruaga-
 batur. Neque Lituania immunis
 erat, ab igne, quo vicinus absume-
 batut paries. Igni oleum affudit
^b Vilnæ^b auctoritate sua & exemplo,
 Nicolaus Vilnensis Palatinus, qui
 (vt & cæteri in Polonia ac Lituania
 Proceres) apud exterros impetu
 Principum cateruatim Romanam
 Ecclesiam deserentium, abreptus;
 noua dogmata è Caluiniano fonte
 hausta, in Patriam retulerat. in hoc
 tamen felicior alijs, quod vniuersa
 eius

ei⁹ proles , Religionem olim à 37
proa⁹ Nicolao I. in baptismo pri-
mùm suscep⁹ tam , à parente conté-
ptam mature⁹ resumpserit. In fi-
nitima verò Liuonia , ad mutatio-
nem illam religionis , etiam huma-
næ fidei euersio acceſſerat. Guil-
helmus Fürstembergius , Equitum
Teutonicorum , in Liuonia Magi-
ſter , Archiepiscopum Rigensem ,
Wilhelmum Marchionem Brande-
burgicum , Augusti Regis conſo-
brinum , bello petit ; cùmqué in
Kokenhauso arce obſeffum , fame
ad deditiōnem coegiſſet , in vincu-
la contra firmatam jureiurando fi-
dem conjecit.^a Suſcipit cognati
cauſam Augustus. Mittit internun-
cium ; ſed iſ à Liuonibus in itinere
occiditur. Ablegat deinde Epi-
ſcopum Samogitiæ , qui de inter-
nuncij

1556.

nuncij cæde , Archiepiscopi que in-
iurijs, ageret: verùm neque eius o-
pera profuit. Hinc belli materia ;
& Nicolao Radiuilo Duci in Birze,
Palatino Trocensi , Exercituum Li-
tuaniæ Ducis , virtutis seges. Ma-
gnis viribus bellum Rex aggredi-
tur : præter morem gentis ingens
exercitus lectus ; Castra ad Poſwo-
le poſita.^b Radiulus cum copiarū
parte præmissus , hostiles agros in-
gressus , latè terrorē & vastitatē
circumferebat. Magister viribus
impar , pacem per Ferdinandi Cæ-
sarī legatos poscit. Occasione
eius fœderis de ulteriore cum Li-
tuanis societate agi cœptum est.
Incumbentia à potenti hoste Mo-
scho in dies grauiora pericula , coe-
gerunt Liuones ut ultra amicitiam ,
auxilium quoque in Lituania quæ-
rerent

rerent. Commissa itaque est de- 39
fendendæ Liuoniæ cura Nicolao
Radiuilo, Duci in Nieswiez, Pala-
tino Vilnensi; eius deinde industriâ
perfectum, quod paulò post ^c cum ^{c 1559.}
Magistro Ordinis tota Liuonia, ac
Curlandia, sub Lituaniæ cliente-
lam, Vilnæ concesserit. Firmata
hæc acta sunt vniuersa, Rigæ, ipso
Nicolao Radiuilo,^a Regis vice ^{a 1560.}
Gothardo Ketlero Magistro^b pro ^b
toto Equitum ordine, & ab Archi-
episcopo Rigenſi Duce Stetinensi,
fuo ac Cathedralis Collegij nomi-
ne^c jusjurandum excipiente. Hinc ^c
noua cum Moschis pro Liuonibus,
in Russia & Liuonia bella. Ingres-
sus fuerat Moschus magnis copijs
Liuoniam;^d verùm ad famam Ni-
colai Radiuili, Palatini Trocensis:
militem contra se per Dunam trans-
portan-

portantis maturè fugit. Missa ta-
men quinque Equitum millia ad di-
tiones Moschouiticas vastandas ,
non leue hosti damnum intulerunt.
Ipse Dux reliquas copias ad Taurū
arcem duxit , eamq̄ue feliciter ex-
pugnauit. Agebatur interea tum
per Regios internuncios , cum ipso
Moschorum Duce : tum per Ma-
gnatum , ac in primis Nicolai Radi-
uili Palatini Vilnensis literas e cum
Boiaris Moschouiæ , ne Liuoniam
attingerent , quæ jam Prouincijs
Lituaniæ esset annumerata. Exa-
cerbatus his Moschus , relictâ Li-
uoniâ , Legatos Regios apud se de-
tinet , Vitepscensem autem Palati-
natum infestis signis petit , ac circa
D brownam , Kopyssium , aliaq̄ue
loca , igne ac ferro sœuit. Adfuit ,
quam citissimè potuit , Radiuilus
cum

41

cum exercitu; & quia hostem ipsum
nancisci intra fines jam non potuit ,
hosti Smolensensem Palatinatum
ingressus , damna reposuit. Interea
ad Liuoniæ defensionem à Nicolao
Radiuilo legatus relictus , Dux Po-
lubieński totos quinq; annos Mo-
schorum impetus felicissimè à Li-
uonia repellebat. Itaq; Moschus
apertæ vi diffisus pacis se audum
ostentat, belli suspicionem à Litua-
nis amouet, foederum curam per le-
gationes mutuas fingit : interea, per
ocium , exercitum magno delectu
congregat. Cùm verò jam ad bel-
lum omnia comparata haberet , Li-
tuanis in legationes & foedera inten-
tis, repente Polociæ centum millia
armatorum admouet.^a Ardebat a 1563;
Radiuilus maturare opem , sub in-
speratâ obsidione laborantibus , sed

Dec. 31.

F

iustis

iustis copiis legendis moram necef-
fariam periculum non admittebat.
Igitur cū Gregorio Chodkiewicio,
Exercitūs Duce , & Nicolao Radi-
uiilo Palatino Vilnensi , duo millia
Lituanorum , & mille quingentos
Polonos , Minsci recensa contra ho-
stem animosè ducit. Legiones
hostiles , quæ per vicina grassaban-
tur, aliquot locis cædit. Castra
intrà octo leucas ab hoste locat.
Perspexerant iam ante Lituani , à
Polonis auxilia in Moschouiticum
bellum non conferri , nisi Vnio Li-
tuaniæ cum Polonia , vltimò absolu-
ueretur ; ex vniuersis itaque Li-
tuaniæ Ordinibus legatos in eam
rem destinârant certos : atq; inter
alios ex ordine Senatorio , Nicolaum
Radiuilum Palatinum Vilnensem ;
ex ordine Ducum , filium eius , item
Nico-

Nicolaum. Verūm cūm perinde 43
maiora auxilia non maturantur, Po-
locia tandem hosti cessit.^b Cinxit^b 1564.
quidem mox eam exercitu Radiui-
lus: at quodd & præsidium firmum
arci hostis impositum reliquisset, &
tormenta maiora Vilnâ (pestiferâ
enim lue per vniuersam Lituaniā
grassante, omnia itinera impedita e-
rant) aduehi non possent: nihil lon-
giore obsidione profectū est. Hoc
successu animosior Moschus, ad su-
perioris anni fraudes redit. Rur-
sus legationes prætexit, bellum
machinatur: legatum Regium apud
se detinet, militē legit. Triginta
millia militum Polociâ, Duce
Suyscio, Smolensco verò quinqua-
ginta millia Duce Serebrny dimit-
tit cum ijs mandatis. Quacunquē
irent, in omnem partem igni ac
F 2 ferro

ferro graffarentur: tum in Drucen-sibus campis conuenirent: demum junctis simul viribus rectâ Vilnam, Lituaniæ Metropolim, tenderent. Iam Suyscius cum suis in Czafnicé-fes agros progressus fuerat, quando Radiuilus cum delecta quatuor millium manu repentinus in eum duabus circiter à meridie horis ir-ruit.^a Post breue prælium hostis profligatus, maiore parte cum ipso Duce in campo cæsus, è triginta millibus ægrè pars sexta, eaq; ferè faucia Polociam fugâ euasit. Non multum abhinc distat annus familiæ funestus, morte Nicolai Radiuili Palatini Vilnen sis, Ducis in Nie-swiez & Olyka: viri cùm in viuis esset, tantæ apud Principem & vni-versos æstimationis, vt seu votis, seu suspicionibus aliquorum, Au-gusto

gusto, prole orbo, successor in Magno Ducatu designaretur. Sed jam Rex jus omne, quod Iagellonia dominus in Lituaniā prætendere potuisset, publicè in Varsauiensibus Comitijs abdicauerat. Reliquit Nicolaus ex Elisabetha Szydlowiecka Castellani Cracouiensis filiâ, quatuor filias, Elisabetham, quæ Nicolao Mielecio, Palatino Podoliæ, Supremo Regni Poloniæ Exercituum Duci; Sophiam, quæ Ducii Pomerano: Annam, quæ Buczacio: Cristinam, quæ magno Zamoyscio, Supremo Regni Cancelario, & Exercituum Duci nupsit. Filij quoque erant superstites quatuor (nam quintus Ioannes immaturè obiit) Nicolaus, Palatinus Vilnensis, Eques S. Sepulchri, Dux in Nieswiez. Georgius, S. R. E.

Cardi-

Cardinalis: Albertus Dux Klecen-
sis , Mareschalcus Lituaniæ. Sta-
niflaus Dux in Olyka , Supremus
Samogitiæ Præfectus.

Mortuo fratri successit in Pala-
tinatu Vilnenſi , & Cancellarij di-
gnitate NICOLAVS Dux in Dubinki ,
& Birze. Tergiuersabantur adhuc
Poloni Liuoniæ patrocinium susci-
pere ; quare per Nicolaum Georgij
Radiuillum , noua cum Liuonibus
foedera ordinum Lituaniæ nomine,
conclusa, ab ijsdem Ordinibus Gro-
dnam ad Comitia congregatis, sunt
confirmata.^a Sequente anno , rur-
sus Comitia Grodnam indicta , in
quibus Liuonia Prouincij Lituanię
inserta. Præfectis eius locus in
Senatu designatus , expeditio in
Moschouiam sumptibus publicis ,
(nam haçtenus ferè priuatis Litua-
niæ

niæ Procerum impensis defendebatur Liuonia) ^a de cœrta. Conuerterat circa Radoszkouicos ingens exercitus, sed procrastinatione Regis, tanti sumptus frustra fuerunt. Domi interea consilia absoluendæ Vnionis agitabantur. Multum cum cœteris laborabant Radiuili, ne quid in damnum Lituaniæ eâ occasione constitueretur. Sed ferè surdo hæc Regi dicebantur, non nihil eâ de causâ, Primoribus Lituaniæ offensis, quibus ex indignatione destinatò ante Comitiorum finem Lublino digressis, Rege vrgente, Vnio ita conclusa est, ^b vt deinceps ^b 1569: Kijouia, Wolynia, Podlachia, Poloni iuris esset. Annus sequens à bellis liber, fame insolitâ Lituaniæ grauissimus: ^c prælusit Augusti Regis morti; qui constitutis ^d cum ^c 1570: ^d 1571: Moscho

^a 1568.

^b 1569.

^c 1570.

^d 1571.

• 1572.
Iulij 18.

Moscho in triennium inducijs à belli curis liber , cùm ipse sua acta Lublinensia recognosceret , atqué ægerrimo animo ferret , ex ægritudine animi tabe contracta , tandem extinctus est.^a Quare Nicolaus Georgij Radiuilus , Dux in Birze , & Dubinki , Palatinus Vilnensis , Supremus MagniDucatus Lituaniæ Cancellarius , Exercituum Dux , Senatus Lituani nomine Legatum ad Moschouiae Ducem misit , qui explicato de Regis morte nuncio , ad foedera paulò ante in triennium pacta , constanter colenda hortaretur. Electus est deinde communibus Polonorum ac Lituaniarum suffragijs successor Augusto Henricus Dux Andegauensis.^b Ad eum è Gallia in Poloniā deducendum , cùm honorificentissima à Republi-

publicâ vniuersâ legatio instituere-
tur , è Senatu Lituano lectus Nico-
laus Nicolai Radiuilus, Dux in Nie-
swiez, Mareschalcus M Ducat⁹ Li-
tuaniæ , magno sumptu id munus
obijt. Verùm Henricus Rex Po-
loniæ , accepto , de Galliæ Regis
fratris sui obitu , nuncio : vt secu-
riùs Galliam obtineret , Poloniā
insperatò deseruit.^c Desperato
eius reditu , indictisq[ue] ad alium
subrogandum Regem Comitijs ,
cùm alijs in Maximilianum Cæsa-
rem , alijs in Stephanum Bathoreum
Transyluaniæ Principem inclinan-
tibus , hæc posterior factio præua-
luisset ,^d & Stephanum Regem ab-
sentibus Ordinibus Lituaniæ , pri-
mùm quidem in Andreiouensi
Conuentu renunciâsse , deinde
Cracouiæ coronâsse:^e diu à Litua-
nis

49

c 1574.
Junij 18.

d 1575.
in Dec.

e 1576.
Jan. 18.

G

nis dubitatum est , atqué in Comitijs tum Grodnensibus , tum Mscibouiensibus disceptatum , an Stephano parendum esset ? Nihilominus cùm Stephanus legatis Lituaniæ (tantùm illi Regem Polonię & non Ducem Lituaniæ salutare fuerant iussi) satisfecisset , & ad bellum pro Liuonia (à quo Poloni abhorrebant) contra Moschos suscipiendum alacritatem declarâsset ; rursum ab Ordinibus Mscibouiæ congregatis , alij legati missi sunt , qui eum Magnum Lituaniæ Ducem salutarent . Interim cùm Stephanus
¶ 1577. Gedanensi bello , ^a ciuilibusquē negotijs distineretur , Moschus Liuoniā inuasit . Concurrunt ociūs ad arma Lituani . Inter primos Dux Birzensis Nicolaus Palatinus Vilnensis , & Dux Nicolaus Radiuilus ,
Mare-

Mareschalcus Lituaniæ. Hostis fu-
gatur , arces aliquæ eripiuntur. Re-
dit non multò pòst in Liuoniam
Moschus plenus spe Vendâ potiun-
di. Sed à Nicolao Radiuilo Palati-
no Vilnensi (qui tunc Liuoniæ gu-
bernandæ præerat) missus milita-
ris legatus Andreas Sapieha , hosti-
les copias felicissimè fudit , castra
occupauit , duces belli , tormenta ,
omnemq; apparatum cepit. Neq;
minùs feliciter posterior expeditio
alteri Nicolai legato , Christopho-
ro Radiuilo filio cessit.^{a 1578.} Auspi-
cijs parentis , hostem aliquot locis
cecidit , ad Vendam trecentis equi-
tibus quatuor millia profligauit.
Kierepecz arcem euertit , loci Pa-
latinos atq; tormenta bellica in
potestatem redacta Vilnam auecta ,
Parenti obtulit. Ita prælusum bel-

b 1579.

lo, quod tandem celebratis tum
Varsauiae, tum Cracouiæ conuen-
tibus, junctis Poloniæ ac Lituaniæ
viribus, conclusum est. Exeunte
jam hyeme Rex Stephans Grodnæ
venit: ^b à Nicolao Radiuilo Palati-
no Vilnensi in campo Ordinum Li-
tuaniæ nomine, publicè salutatus.
Grodnæ consilio cum Proceribus
Lituaniæ habito, alacriorem ani-
mum ad prosequendi belli curas af-
sumpsit: vbi aduertit certatim quæ-
que proprijs stipendijs militem of-
ferre. Nequé diu negotium di-
latum. Ad oppugnandam Polociam
tendentem Regem cum Lituaniis
copijs, Nicolaus Palatinus, vti
Supremus Lituaniæ Exercituum
Dux, cum Christophoro filio col-
legâ, sub id tempus Campiduce re-
nunciato, præcesserunt. Eorum
operâ

operâ viæ permunitæ , hostilia præ-
fidia submota ; Kozian , Sitno , Kra-
sne , arces præfidijs excisis igne ab-
sumpta ; pass⁹ à Sokol , quā Seremet⁹
Moschi exercit⁹ Imperator penetra-
re cū auxilijs ad obſeffos cogitabat ,
interclusus . Captā Polociā , ali-
quantūm cessatum ; sed recrude-
ſcente per æſtiuos menses alterius
anni^a bello , Nicōlaus motis contra ^{a 1580}
hostem copijs , arcem munitissimam
Vſuiatam eripuit.^b Tantaq; erat
eius viri inter ipsos hostes fama , vt
cūm Iezierzyscense præſidium ar-
cem dedere adigeretur : ad nullius
nomen præterquam Nicolai illam
concedere voluerit .

CHRISTOPHORVS verò eius filius ,
Campidux Lituaniæ , à Stephano
Rege , Castellanus Trocensis re-
nunciatus , nouum honorem nouis
trium-

triumphis ornatus, Regijs copijs
Wielikolukos tendentibus, cum tri-
bus millibus præmissus viam ape-
ruit. Eodem anno Georgius Ra-
diulus Dux Niesuizij, Valeriano
Episcopo Vilnensi morbis & senio
graui, jam antè Regiā atq; Pontifi-
ciā auctoritate Adjutor datus: ei-
dem Antistitit mortuo successit. Dum
Rex in arcum ciuitatumq; hostiliū
oppugnatione hæret, Nicolaus Ra-
diulus Mareschalc⁹ ex Italia redux,
quanquam non adeo firmā valetu-
dine æstatem totam in castris ad
Plescouiam transegit.^a Christo-
phorus autem Radiulus Campidux
copiosiore Lituanorum manu, pro-
fundiora Moschouiae territoria in-
gressus, ferro & igne latè perua-
stanto, ita hostiles ditiones affixit,
vt Magnus Moschouiae Dux sub ve-
sperum

sperum colluentes flammis nubes, 55
ē palatio prospectans , cum lachry-
mis Oratori Pontificio , Antonio
Posseuino Societatis IESv Theolo-
go , apud se agenti ostentaret. Age-
bat tum apud euin Posseuinus ad
postulata Moschi à Gregorio XIII.
missus , vt Stephanum à bello ad
pacem inclinaret. Quam tandem,
missus à Rege inMoschouiam lega-
tus , Albertus Radiuilus , M. D. L.
Mareschalcus , ad paucos annos
conclusit. Constitutâ pace , re-
ceptam à Moschis , ordinatamquē
certis legibus Liuoniam , Duci Ge-
orgio Radiuilo , Episcopo Vilnensi,
viro omnibus dignitatibus maior ,
Stephanus gubernandam commisit. b 1582
Ille igitur cum additis collegis , ma-
gnâ justi , prudentis , ac clementis
animi commendatione Rigæ jus
cuiq;

cuiqué dicebat , incolas à militum iniurijs tuebatur , priuatas publicas- quē lites componebat ; egenorum oppressorumq; miserias subleuabat . Eodē anno , obtentā à Stephano R. potestate abeundi , **NICOLAVS CHRISTOPHORVS RADIVI-**

^b Sept. 16. **LVS^b** ex voto olim facto , orsus est peregrinationem Hierosolymitanam , quæ deinde typis vulgata prodijt Polono & Latino idiomate.

^a 1583. Coorto Rigæ tumultu , quem seditionis prætextu religionis concitârunt : Georgius Radiuilus , vt quietius munus injunctum exequeretur , Vendam concessit . Eodem anno peregrinatione Compostellanâ magno pietatis sensu ac exemplo ab solutâ , à Gregorio XIII. S. R. E. Cardinalis absens creatus , nouum genus ornamenti familiæ ac Natiōni Li-

ni Lituanæ primus intulit. In Ca-
thedrali S. Stanislai Ecclesia Vil-
nensi simul cum Alberto Cardinali
Bologneto , insigni Cardinalium
pileo à Stephano Rege ornatus.
Correctio quoque Kalendarij Ro-
mani cùm in id tempus incidisset ,
auctoritate suâ effecit , vt Prouin-
ciæ Episcopatus Vilnensis , prom-
ptè Pontificis mandato parerent.

57

NICOLAVS autem Lituaniæ
Supremus Mareschalcus , frater
GEORGII contemptis tum sermoni-
bus variorum , tum dehortationi-
bus , tum maximè viæ periculis, ha-
bitu peregrino (in quo deinde se-
pulchro vt inferretur curauit) na-
uim Venetijs conscendit , & mari-
se commisit. Delatus singulari di-
uina prouidentiâ Hierosolymas , sa-
crum sepulchrum piè est veneratus;

Aprilis 17

Iunij 26.

H & mi-

Junij 29.

& miles S. Sepulchri antiquissimo
ritu , cum alijs quibusdam nobili-
bus viris inaugurus. Calicem au-
reum cum simili patina, suis insigni-
bus inscriptum capellæ S. Sepul-
chri donauit. Præterea perpetuum
centum viginti aureorum censum
assignauit, qui primùm ex Nieswie-
ziensi Ducatu pendebatur , tandem
Venetijs coemptus est , tum ad Re-
ligiosorum isthic manentium suble-
uandam inopiam , tum ad hoc vt
igne perpetuo lampas ad S. Sepul-
chrum aleretur. Insuper eo pie-
tatis ardore isthic exarsit , vt consi-
deratis ijs , quæ ad loci illius sacri
farta tecta necessaria erant , tantus
Princeps procuratoris S. Sepulchri
Generalis munus assumpserit. Post
exactam locorum terræ sanctæ &
Ægypti circumspectionem , inco-
lumis

lumis & sanus tandem in Patriam 59
redijt ,^a singulari Dei ope à perfidia ^{a 1584.}
Turcarum seruatus. Quamuis e-
nī ad Stephani Regis literas Amu-
rathes Imperator publico diploma-
mate securitatem per sua regna af-
seruisset , nihilominus Cosacorum
sub id tempus irruptione in Turci-
cas ditiones facta irritatus , consti-
tuerat Ducem cum comitibus inter-
cipere. Pax interea domi. Verūm
exiguam ab externis bellis quie-
tem , domesticæ contentiones sunt
subsecutæ. Mortuo Grodnæ Ste-
phano Rege ,^a Polonorum Proce-
res priuatis æmulationibus Rem-
publicam prope perdiderunt. In
Comitijs Ordinum ^b omnia erant a 1586.
Dec. 12.
tumultu , imò & vi plena. Lituani
igitur cis Vistulam suis se castris
continebant , vt ab ijs turbis semo-

H 2 ti ,

^b 1587.
Aug. 19.

ti, maturius quid è Republica futurum esset, dispicerent. Neutras partes aperte tuebantur: quorum exemplum Russia quoque; secuta. GEORGIVS tamen Cardinalis Radiuilus, & frater eius ALBERTVS Dux Clecenfis, Magni Ducatus Lituaniæ Mareschalcus, Maximiliani Austriaci fautoribus accessere. Praeualuit ea, quæ pro Sigismundo Sueciæ Principe: Ioanne Rege, ex Catharinâ Iagelloniâ, Sigismundi I. filiâ nato, stabat factio, eumque absentibus Lituaniæ Proceribus Cracouiæ coronauit. Id factum propè ad secessionis consilia, Lituaniam impulit: neque deerant, qui obstinatè Moschouiae Ducem assumendum suaderent. Reuerentia sola Iagellonij sanguinis, & magnorum motuum pericula, in officio & concordia

dia , continuerunt. Missa nihilō-
minus legatio ,^a in qua Princeps ^{a 1588.}
legationis Regem Poloniæ , non
Lituaniæ Ducem , Sigismundum
salutauit ; tum vehementer Ordi-
num Lituaniæ nomine expostula-
uit , quòd non expectatis Lituanis ,
factâ coronatione , ac diademate ,
inscijs ad quos id pertineret Proce-
ribus , deprompto ; communia fœ-
dera violata essent. Adiecit Li-
tuaniam sub eius nomen non itu-
ram , nisi priùs sponderet nouis le-
gibus se firmaturum , ne deinceps
eiusmodi quidpiam impune tenta-
retur. Sopitis hisce dissidijs Var-
sauiae vtriusque gentis comitia con-
cordibus animis peracta sunt : in ijs
NICOLAVS RADIVILVS Dux in Nie-
swiez à Republica obtinuit , vt cer-
tæ quædam hui⁹ familiæ posses-
ses ,

nes , semper vni hæredum maiori
 natu cederent , reliquis exclusis.
 Iure eiusmodi sola hæc familia in
 toto Magno Ducatu Lituaniæ gau-
 det : inde facillimè opes atque po-
 tentiam pristinam retinet. Post
 Comitia Sigismundus Rex , cum
 Ioanne Patre Suecorum Rege , Re-
 ualiæ congressurus , in Lituaniam
 venit : ^a vbi vniuersa Domus Radi-
 uilia in nouum Principem varijs of-
 ficijs certauit. Nequé Rex mino-
 re beneuolentiâ eam complexus
 est : Georgium Cardinalem Ra-
 diulum (quantumuis ambientem
 Cardinalem Bathoreum prætereun-
 do , plurimos sibi offendēdos aduer-
 teret) ad Cracouensem Cathe-
 dram transtulit , ^b Albertum Mare-
 schalcum , inter carissimos ac inti-
 mos habuit ; à quo eius amicitiæ ,
 quæ

^a 1589.^b 1590.

quæ deinde inter Sigismundum
Regem , domumque Austriacam
maxima intercessit , semina iacta
sunt ac educta.

63

Cardinalis circa idem tempus
in Italiam delatus , Vrbis oculos in
se conuertit. Carebat fortè sum-
mo Pontifice Ecclesia : Purpurato-
rum itaque Patrum interfuit con-
fessui , tum ei , ex quo Innocentius
IX.^a tum alteri , ex quo Clemens
VIII.^b Supremi Ecclesiae Præsides
renunciati sunt : ipse non pauco-
rum suffragijs ad eam summam in
humanis dignitatem , plurimorum
autem votis expetitus ; ei gradui ,
si ætatem solam exceperis , omnino
non impar. In Patriam redux se-
mel , iterumq; Sigismundi legatus
Rudolphum II. Cæsarem adiuit, at-
qué inter Sigismundum Regem &
Annam

^a 1591.

^b 1592.

in Sept.

1593.

Annam Austriacam , Græcensem
Principem , connubium stabiliuit.
Ut vero Pragæ , ac Viennæ Regiam
Personam magno splendore susti-
nuit; ita in ipsis nuptijs Pontificiam,
Legatus à latere Clementis VIII.
ad Cæsarem & Regem absens di-
ctus. Connubium hoc ægrè quoſ-
dam , quibus nihil ab Austria non
suspectum , habebat ; neq; exiguas
turbas in Equestri ordine eorum
factio concitârat. Hinc occasio
sumpta insolitis omnino hactenus
Comitijs, c quibus in consilia Regia
inquireretur. Constitit tamen si-
bi innocentia & Maiestas Regia :
pro qua vtraque , tum omnes Radi-
uili erant , tum maximè GEORGIVS
Cardinalis , Idem anno sequente
a primogenitam Regis filiam Cra-
couiæ è sacro fonte leuauit ; Anna
ei

ei nomen impositum fuerat , quod & mater ipsius Regina , & materra Princeps Sueciæ ; & auia , Stephani Regis vidua , præsentes illis cærimonijis , idem nomen habarent . Altero abhinc anno , infausti ominis loco aliquibus creditum , quòd pridie natalis^b Vladislai Prin-^{b 1595.} cipis (Regum fortunatissimi) quædam Cracouiensis Regiæ tecta fortuito igne conflagrârint . At GEORGIVS RADIVILVS munificentia suâ meliora sperare iussit : cùm in gratiam nati Principis ex aurifodinis suis Kielcensibus , non ita pridem inuentis tantùm Cupri suppeditari jussit , quantum igne absumptis tetris reparandis , opus haberetur . Hactenus à bellis cum finitimis Principibus quieta erant omnia . Nam quanquam Scytharum Cri-

I

men-

66

c 1596.

mensium Imperator Katigerey , à
Turcâ imperio electus , ad arma
contra Turcas secum iungenda , li-
teris scriptis c solicitaret ; nolebat
Rex , publico Ordinum in Comi-
tijs consensu motus , Prouincias
fihas tam difficulti bello , aut Scytha-
rum aut Hungaricorum motuum
causâ intricare . Nihilominus

d 1597
Maij 3.

e 1598.

mortuo d Rege Sueciæ Ioanne Si-
gismudi Parente , ambitione Caro-
li Sudermaniæ Ducis , Regij Patrui ,
(qui regnum Sueciæ , quod pro ne-
pote Sigismundo administrare cœ-
perat , tandem in se auertit) nouum
in Liuonia bellum exarsit , e quod
quadraginta annos circiter tenuit ,
magnâ parte à solis Lituanis ge-
stum . Colligere aliquid militis
cœperat CHRISTOPHORVS NICOLAVS
RADIVILVS , Palatinus Vilnensis , vt si
quid

a 1600.
Nou. 13

quid Carolus in Liuonia nouaret ,
arma in promptu essent . Significa-
tur interea CHRISTOPHORO ab Episco-
po Vendensi a Otthone Szenking ,
hostem ductore Carolisono , Caroli
notho filio agros vastare , oppida
occupare , arces vi ac obsidione
oppugnare . Missus itaque ociosus
est legionis vnius tribunus Ioan-
nes Sicinski , qui hostem tantisper
moraretur : ipse verò reliquum
exercitum , ad Kokonhausum op-
pidum nuper à Suecis occupatum
duxit . Obsidenti oppidum nun-
ciatur Carolisonum viâ Orlensicu[m]
suppetijs aduentare : ei occurrere
Iussus Sicinius , felici prælio in fu-
gam hostem vertit . Circa eius-
dem anni initium , cùm ad sæcula-
ris anni celebritatem Romam Car-
dinalis GEORGIVS venisset , post per-

Janua.^{21.}

• 1601.

acta apertoris Portæ Aureæ solennia , ardente febri correptus , à Clemente viii. benevolè visitatus , inter omnium lachrymas , vi morbi absemptus est.^b Sepultus in Ecclesia Domus Professæ Societatis IESV. Domi verò Liuonicum bellum continuabatur. Ad soluendam Kokonhausi obsidionem , maioribus instructus viribus , rursus Carolifonus redit.^c Modicæ erant in castris Lituanicis copiæ : nimirùm pedites sexcenti , equites mille ; inter eos verò pauci stipendiarij , maior pars honorarij NICOLAI RADIVILI Ducis in Nieswiez , Palatini Trocensis , GEORGII RADIVILI Ducis in Dubinki , Castellani Trocensis , IANVSSII RADIVILI , filij ipsius exercitus Ducis , aliorumque. Relicto nihilominus castris exiguo præsidio , cum reliquis

quis CHRISTOPHORVS RADIVILVS Palatinus Vilnensis , septem millia hostium ad Orle aggressus :^d cæsis duobus eorum millibus prælio vicit , castris exuit , sedecim machinas bellicas cepit : ad obsidionem oppidi reuersus, deditioñem extorsit. Mox Vendam , parte copiarum eò ductâ , deiectoqué muro , recepit. Iam Runemburgam oppugnare cœperat , cùm Carolum ipsum Sudermaniæ Ducem , decem millia armatorum ducere significatur. Igitur exiguum militem primùm Vendam , mox sub Rigam reducit : eo consilio , vt hostem moraretur , quoad Polonicæ copiæ cum Zamoyscio superuenirent. Verùm tardius illis procedentibus quàm negotium ferret , Duna traecto , in securum milites paucos de- porta-

^d
Junij 23.

portare coactus est. Carolus au-
tem admotis Rigæ copijs cùm ob-
fitionem seu ostentâisset , seu vix
moliri cœpisset : ad famam venien-
tis cum exercitu Sigismundi Regis,
rebus omnino infectis , naues con-
scendit , Liuoniâq; excessit. Non
multò post è viuis abijt CHRISTOPHO-
RVS NICOLAVS RADIVILVS , Palatinus
Vilnensis , Supremus M. D. Litua-
niæ Exercituum Dux. Reliquit su-
perstites ex Catharina Comite in
Tęczyn filios IANVSSIVM ac CHRISTO-
PHORVM Duces in Dubinki & Birze ,
filiam Elisabetham , Leonis Sapie-
ha Cancellarij tunc Magni Ducatus
Lituaniæ Supremi , deinde Palatini
Vilnensis Coniugem.

A morte

A morte CHRISTOPHORI , Palati-
natus Vilnensis collatus est ^a NICO-
LAO CHRISTOPHORO RADIVILO Duci in
Nieswiez , Equiti Hierosolymita-
no; præfecturæ aliæ, diuersis. Cùm
verò Dudensem præfecturam filius
CHRISTOPHORI IANVSSIVS tunc Magni
Ducatus Lituaniæ Pocillator ambi-
ret , vtpote viuo adhuc parente , si-
bi confignatam: eaq; nihilominus
prætextu aliquorum , quæ ex juris
forma deerant , Chodkiewicio fuif-
set collata ; vti id præter spem IA-
NVSSII accidit , ita animum eius ve-
hementer à Regijs partibus auertit.
Itaque Zebrzydowio PalatinoCra-
couensi offendentes populares , su-
spicioneſq; contra Regem indicto
ad Stęzycam conuentu , promo-
uente: ^b ipſe quoque ei factiōni ac-
cessit , omnesqué Magni Ducatus
Litua-

71

^a 1604.

^b 1606.

Lituaniæ equestres nuncios in ean-
dem secum sententiam pertraxit.
Cùm ad arma res deuenit , priuatis
opibus militem conscripsit , Mare-
schalcus aduersarum Regi partium
lectus suscepit bellum , quòd pro
auitis libertatibus se existimaret
pugnaturum. Sequebatur tamen
constanter Regias partes NICOLAVS
Palatinus Vilnensis , Patruus & ger-
manus IANVSSII frater CHRISTOPHORVS
militequé suo illas auxerunt. Sed
& IANVSSIVS victori Regi facile re-
conciliatus est. Per dissidia do-
mestica Liuoniam ferè desertam ,
Sueticarum copiarum Dux Mans-
feldius nactus , secundo successu
per Episcopi Vendensis ditionem
grassabatur. Carolus Chodkie-
uicius , Supremus Magni Ducatus
Lituaniæ militiæ Dux , quòd è pu-
blico

blico ærario miles tam citò haberì
non posset , opem Magnatum Li-
tuaniæ implorat : nequé illi desunt,
ac in primis NICOLAVS RADIVILVS du-
centis equitibus hastatis submissis.
Consilijs quoque hoc bellum^c Ni-^{c 1607.}
colaus promouit à Republica desti-
natus , vt Regijs de bello consulta-
tionibus arbiter adesset: quanquam
domestico luctu æger ex amissio fi-
lio Christophoro , magnæ spei ado-
lescente , qui ætatis annum sextum
supra decimum nondum egressus ,
in Italia Bononiæ obierat,^d Eodem
anno CHRISTOPHORVS RADIVILVS , Dux^{d Maj 4.}
in Birze , iuri inter finitimos Cur-
landiæ ac Samogitiæ incolas , di-
cendo Præfectus : singularem æqui-
tatē , atq; in rebus agendis strenuam
dexteritatē probauit. Administran-
te interea feliciter bellum Liuoni-

K

cum

^a 1609.

cum Carolo Chodkieuicio Comite in Szklow & Mysz , vt multi alij viri Principes , ita cuius memini proximè CHRISTOPHORVS RADIVILVS , Dux in Birze , & ALBERTVS NICOLAI filius , ad Imperatorias artes exercebantur , socij victoriarum Chodkieuicianarum . Ducebat ALBERTVS honorariam trecentorum equitum manum , cum Mansfeldius primò ab obsidione Parnauensi reiectus est : tandem ad Dynamundam vexillis duodecim , tormentis omnibus & magnâ militum parte amissâ , in fugam versus ^a & arx hosti erupta . Ita verò tum eâ expeditione , tum alijs , vterque militarem virtutem omnibus probauit : vt CHRISTOPHORVS quidem supremos militares honores in Magno Ducatu Lithuaniae gesserit ; ALBERTVS autem ,

jam

jam Castellanus Vilnensis publicis
votis ipsiusq; prudentissimi Regis
Vladislai IV. delectu , ad eosdem
honores exoptaretur : nisi affecta
morbis valetudo domi retinuisset.

Recuperatâ Liuoniâ Moscho-
uiticum bellum in Republicâ suc-
cessit.^a Domesticæ autem fortunæ ^{a 1610.}
in Radiuilio genere , serenitati lu-
ctum superinduxit mors Elisabe-
thæ Radiuiliæ Leonis Sapieha Cō-
iugis.^b Post debellatam Moscho-^{b 1611.}
uiam , ab ipsis victoribus victoriæ
fructus corruptus est , ob calamiti-
tosam legionum Zborouianæ &
Sapiehanæ secessionem : per quam
absqué hoste , plusquam hostiliter
intima Patriæ consumebantur.
Hæc secessio cùm aliter , quàm pre-
tensis stipendijs numeratis fisti non
posset : IANVSSIVS RADIVILVS Dux in
K 2 Nie-

Nieswiez, postea Castellanus Tro-
censis, utilem in eo negotio Reipu-
publicæ operam nauauit. Suc-
cessore rursus domi res turbulentæ:
quibus Comitia Varsauiensia agita-
ta, post consumptos Comitiorum
dies in pertinacibus contentioni-
bus, tandem rebus infectis foluta
d 1615. sunt.^d Commodè circa ea tem-
pora, velut pertæsus terrenarum
turbarum, ad quietiorem vitam
e 1616. transiit NICOLAVS CHRISTOPHORVS Ra-
Febr. 28. diuilius, Palatinus Vilnensis, Eques
Hierosolymitanus, heros de Repu-
blica meritissimus, & familiæ orna-
mentum singulare. Arcem & oppi-
dum Nieswiez excitauit, ac permu-
tauit. Collegium Societatis IESU
Neswiezij magnificè exædificatum,
& insigni Basilicâ instructum, am-
plis redditibus dotauit. Templa va-
riis

77

riis locis construxit. Verbo magnificis operibus relictis, de serâ posteritate ita meritus, ut æqualem in Magno Ducatu Lituaniæ non habeat. Reliquit ex Elisabetha Euphemia Wisniowieciorum Ducum progenie, filios superstites: IOANNEM Castellanum Trocensem, ALBERTVM Castellanum Vilnensem, SIGISMUNDVM Equitem Melitensem, Palatinum Nouogrodensem: ALEXANDRVM LUDOVICVM olim Palatinum Brestianensem, nunc Supremum Magni Ducatus Lituaniæ Mareschalcum.

Trahebat adhuc recrudescens perfidia Moschorum contra electi nuper à se Cari Vladislai Principis, auspicio bellum, nihilominus quod Sueciæ recuperationem Gustaui, (qui parenti Carolo successerat) iu-

uentus

uentus videbatur facilem promittere : ita belli Suetici prima consilia in Regia agitabantur , vt intempestiuis sermonibus apud plebem , velut destinata, celebrarētur.^a Hoc nuncio exciti Sueci , ne bellum in Sueciam reciperent , in Liuonia inchoārunt. Ferensbachium nobilem Liuonem , in suas partes pertractum , Gubernatorem Liuoniæ renunciant. Hic , vti Regiarum partium homo , vbique amicè acceptus , propè totam Liuoniam præfidijs Sueticis , intrà paucos dies obtinuit. Occupato interea Chodkieuicio in Moschouia , Liuonicarum rerū cura CHRISTOPHORO RADIVILO , campestri exercitus Lituani ci Duci committitur.^b

Accingebat se ille ad bellum ;
sed & Chodkieuicius , pactis in
quatuordecem annos inducijs ex
Moschouia ad Liuoniæ curas redi-
bat. Interea iam eiusdem Ferens-
bachij arte , ferè omnia recuperara,
à Regio milite tenebantur. Sueco
itaque aut quiescente , aut quiesce-
re se simulante : in Polonia quoque
Suetici belli cogitationem excussit
grauioris periculi à Turca metus.
Rursus eâ occasione Chodkieuicio
à Liuonia abstracto (quòd cum
summa potestate bello Turcico ,
Polono simul & Lituano exercitui
præesse authoritate publicâ iussus
esset) ^a Radiuilo Campiduci hæc ^{a 1620.}
Prouincia demandata , ne per ab-
sentiam militis & Supremi Ducis ,
Liuonia aliquid damni acciperet à
Sueco. Spem pacis suis artibus
foue-

souebat Suecus: fœderibusq; ad-
huc durantibus, bellum tam citò
non metuebatur. Gustauus tamen
securitatis, quàm foederum dili-
gentior, nauibus in Liuoniam ap-
pulsus, Rigam insperatâ obsidione
b 1621. cinxit.^b Accurrit ocios cum exi-
guis quas ad manum habebat co-
pijs RADIVILVS: & quanquam decu-
plo & amplius minores essent quàm
hostiles, velitationibus tamen eas
non infeliciter carpit. Quod au-
tem nihil inaiore impetu tentare
cum paucis posset: aliquantùm re-
cessit, vt cum grandiore manu redi-
ret. Præstolabatur eriam à Rigen-
fibus nuncium, à quo de statu ciui-
tatis edoceretur: verùm illi repe-
rito cum Suecis colloquio, nihil de
periculo Duci significarunt, & præ-
properâ sui ditione vti illius cu-
ras

ras vltiores præuenerunt , ita
apud omnes non exiguam suspicio-
nem mouerunt , cùm adhuc in Sue-
cia Gustauus ageret , fidem Rigen-
sium expugnatam fuisse.

Tractatum est deinceps inter ^{1622.}
^{Dec. 6.} Lituanos & Suecos , de fœderibus:
vbi graui coortâ concertatione de
titulis Gustaui nunquam CHRISTO-
PHORVS RADIVILVS adduci potuit , vt
aut ipse , aut sui Collegæ , Regem
Sueciæ nominarent : quod exem-
plum constantissimè sunt deinde Li-
tuani secuti , quotiescumque cum
Suecis colloqui , ac de pacis nego-
tio tractare necesse fuit. Tracta-
tum verò est frequenter. Exhau-
sto enim diuturnis bellis ærario , pa-
cem pleriq; respiciebant : quare in
Comitijs quoque generalibus^b de-
stinati sunt , atq; inter eos ALEXAN-
^{b 1623.}

L

DER

DER RADIVILVS Dux Nieſwieziensis,
postea Supremus Lituaniæ Mareſchalcus, qui cum Suecis de perpe‐
tuæ pacis ineundæ ratione, age‐
rent. Neque Sueci abhorrebant
multùm à pace: quin imo sponte
ad eam, Proceres Lituanos literis
c 1624.
Febr. 16. suis c inuitabant. Constitutæ
sunt in primis breues induciæ, vt
quiescentibus armis commodiūs
de diuturniore foedere aliquid sta‐
biliretur. Vrgebat itaque in Co‐
mitijs generalibus CHRISTOPHORVS
RADIVILVS non segniter, pacis nego‐
tium: Sigismundo Rege, quod
bellum pro recuperandâ Suecia a‐
nimo destinauerat, ægerimè id fe‐
rente. Cùm autem agi cœptum
effet de quarundam equestrium
possessionum à Regina emptione,
& Varmiensis Episcopatus Principi
colla‐

collatione : quo magis Regia fa-
ctio consensum Reipublicæ vrge-
bat , eò constantiūs CHRISTOPHORVS
Dux obfistebat , testatus publicè se
omnibus etiam consentientibus ,
contrarium forè , quòd ea quæ à
Rege postularentur , equestri liber-
tati , legibusque publicis aduersari
sentiret ; hinc grauius alienatus Re-
gius animus , indignationem sequē-
te anno protulit ; interea Comitia
nullo certo euentu soluta sunt.

83

Eodem anno ALBERTVS RADIVILVS
Dux Olycæ , Cancellarius Magni
Ducatus Lituaniæ , Vladislao Prin-
cipi in Germaniam Italiamque ab-
eunti comes , & aulæ vniuersæ Ma-
gister , à parente Rege additus : iter
illud tum prudentiâ , opibusq; suis ,
tum apud exterorū Principes , ma-
gnâ honoris sui æstimatione (nam

L 2

& Lo-

a 1625.

& Louanij omnibus exclusis , solus
ad mensam adhibit⁹ cum Principe.
Bruxellis verò tempore ægritudi-
nis omnium Principum , ac ipsius
Infantis officijs cultus. Romæ tum
ipsius Vrbani VIII. iam ante sibi
familiariter noti. Tum aliorum
Cardinalium. Vbi etiam Kalendas
Januarias , Principis nomine , Vrba-
no VIII. gratulatus est) ^a singulari-
ter ornauit. In Patriā feliciter reuer-
sus , difficillimis temporibus , eundē
M. D. L. Cancellarij Magistratum
diu geslit , legum , Æqui , Auitarumq;
Religionum inuictus semper pro-
pugnator : altiora honorum subsel-
lia , quantò citius meritus , tantò
diutiū respuit : vel eo solo titulo ,
ne vberiorem de Religione ac Pu-
blico bono merendi materiam
manibus dimitteret. Eruditione suâ
non

humanarū tantūm, sed & sacrarū li-
terarum adyta penetrauit: vtilissi-
mis libris, qui diuinam doctrinam
in aliorum vſus dispensarent, con-
scriptis vulgatisque. Ciuitates
ac oppida, atque inprimis Olykam
& Pinscum magnificis templis ex-
ornauit: templa ipsa Collegijs,
Gymnasijs, reditibus, & supelle-
ctile, munificè instruxit, vt ex hi-
scè fontibus pietatem ac eruditio-
nem Polesia Volyniaque vniuersa
hauriret. Hæ aliæqué laudes hu-
ius Principis, qui generis splendo-
rem virtutum luce superauit, quid-
quid deinceps superest annorum,
totum occupârunt. Interea verò,
vbi Gustauus superioribus Comi-
tijs Varsauiae nihil in defensionem
Liuoniæ constitutum intellexit: ni-
hil cunctatus ante induciarum fi-
nem

86 nem bellum indixit ^b progressusq;
^b Febr. 20. in campum cum milite, Lituaniæ
fines, vix dum exspirantibus cum
vltimo die inducijs ^c inuasit. Col-
^c Maij 6. legit proprijs stipendijs quām ce-
lerrimè potuit Dux CHRISTOPHORVS
RADIVILVS aliquas copias, quibus
vleriores Sueci progressus stitit.
Neque remisit animos, quanquam
haud leuiter à Rege offensus. Va-
cabat adhuc à morte Caroli Chod-
kieuicij, suprema rei militaris præ-
fectura: hanc Rex Sigismundus ob
priuatas offensiones, præter morem
præterito Christophoro Campidu-
ce, Leoni Sapieha Palatino Vilnen-
si ^a contulerat. Hinc inter Col-
legas aliquid æmulationis: atq; ex
ea occasione domesticum Rādiuilo
detrimentum. Gustauus enim,
non

dubius fore ut miles ad noui Du-
cis mandata erectus , castra Cam-
piducis eius iniussu non accederet :
Birzas Ducale Radiuili oppidum &
arcem , cum delecti militis octo
millibus aggressus , operibus cin-
xit , machinisq; quatere cœpit . Pau-
ci Præfidiarij , cùm indies super ob-
fidionis mala , pestilente lue exhau-
tirentur , quamquam satis fortiter
impetum hostilem sustinuissent ,
tandem tot simul malis cesserunt.^b

87

in Sept.

Hostis arce potitus , sexaginta tor-
menta bellica , cum insigni præda
euexit . Haud procul agebat Cam-
pidux cum ijs , quos proprio stipen-
dio sub signis retinebat : sed quod
& illi pauci essent , & equestres no-
bilitatis confluentis copiæ sub eius
imperium ire nollent , & peditatus
ex Regijs possessionibus legis solitus
castra

in Dec.

a 1626.

castra eius deuitaret : desertus à suis , subsidium obseffis ferre non potuit. Nihilominus campo non excessit, hostemque ab ulteriore in Lituaniā progressū , excursionib⁹ hinc inde carpendo absterruit: præfertim cùm post e Valmusensē cladem omnia aperta planaque essent. Quare vniuersa Respubl. in proximis Comitiis , æternū mansuro monumento , laudatione nimirum eius in perpetuarum legum volumen relatā ,^a solempnes ei gratias in comitiis Varsauiensibus haberi voluit. Circa eosdem ferè annos , Sigismundus Radiuilus Dux Nefw. Eques Melitensis , apud Ferdinandum II. legiones in Germania ducebatur: tum alias optimè meritus ; tum maximè , quando Lissouianæ legioni Dux datus , eam & belli tempo-

tempore in officio continuuit , & in
 patriam absq; Cæsarearum ditio-
 num iniurijs deduxit. Frater au-
 tem eius Dux Ianussius Castellanus
 Trocensis , immaturâ morte , absq;
 prole eodem anno in Neswiesensi
 arce decessit. In Liuonia interea,
 cùm Birzis facile excursiones in Li-
 tuaniæ interiora instaurari possent ;
 miles verò in castris mirè exhaust⁹
 esset : induciæ in quadriennium
 sancitæ sunt ,^b per quas Birzis ho-
 stis excessit.^c Iam tunc Christopho-^{b 1627.}
^c Junij 17.
 rus Dux , non militiæ tædio , sed
 æmulationum intestinarum odio ,
 rem bellicam consultò non attin-
 gebat : cùm Suecus etiam in Prussi-
 am arma insperatò transtulit. Vbi
 cùm quaquauersum faueret hosti
 proditio , tandem sex annorum in-
 ducijs constitutis bellum Sueticum

M est

90

d 1629.

est suspensum :^d insigni profecto
Liuoniæ damno. Nam , cùm Hor-
nius & La-Garda militiæ Sueticæ
Præfecti, ipsi optimis conditionib⁹
Proceres Lituaniæ ad foedera inui-
tarent , etiam proinissa, non exiguæ
Liuoniæ partis restitutio: Poloni-
ita præproperis consilijs in Prussia rē
transfegerunt ; vt pax quidem esset,
cæterūm quæ quisq; interea possi-
deret , in sexennium retineret. Vi-
timæ hæ Sigismundo Regi induciæ,
tot tamque diuersis bellis ab ipsis
Principatūs initijs , exercito fuere.
Cessit enim è viuis , cùm mediæ in-
duciæ ^a essent: A morte Regis Co-
mitijs vtriq; gentis Ordinum Ma-
reschalcus (Tribunitiæ instar pot-
statis , hic gradus in Republica no-
stra est) ab Equestri Ordine lectus
Dux CHRISTOPHOR⁹ RADIVILVS magnā
dexte-

a 1632.
Apr. vlt.

dexteritate difficillimam illam Pro-
uinciam administrauit: tantò ma-
iore sui admiratione , quantò diui-
nior videbatur huius interregni
quies , recensentibus superiora in-
terregna, quorum fluctibus agitata,
quassata , tantumq; non soluta Res-
publica fuerat. Iisdem Comitiis ,
Dux SIGISMUNDVS RADIVILVS ad con-
filia Interregis Archiepiscopi , Or-
dinum auctoritate designatus. Sub
electionis Comitia , equestrem Li-
tuaniæ ordinem vniuersum, in Vla-
dislai IV. suffragia Dux Christopho-
rus maximè inclinauit. Albertus
autem Dux Olycæ , & M. D. Litu.
Cancellarius, eiusdem Vladislai no-
mine , pro Principe , cum Republ.
de Regni conditionibus transegit.
Neque ingratus operæ fuit Vladis-
laus. Christophorum paulò post

b 1633. Castellatum Vilnensem , deinde
Palatinum , qui supremus in Magno
Ducatu Lituaniæ gradus est, renun-
ciavit.^b Iam bellum Moschouiti-
cum exarserat , quod diuturnâ præ-
paratione occultè molitus Michael
Theodori Dux Moschouiae, sub ipsa
Electioonis Comitia , ante inducia-
rum finem , in Smolensensi Palati-
natū , ductore Szeynio inchoauit.
Armatorum hostium multitudo
longè millia centum excedebat :
His copijs arces , Siebiesium , Sier-
pieyscum , Biala , Dohorobusium
occupatae. Smolenscum autem o-
peribus ac munitionibus vndique ,
exterorum arte , cinctum. Ab ele-
ctione Regis , absque morâ Chri-
stophorus Dux Radiuilus Campi-
dux, partem copiarum ad eam oram
tuendam præmisit : ipse cum reli-
quis

quis subsecutus. Morabatur ad-
huc Szeynius cum vniuerso exerci-
tu ad Smolenscum , vrgebatq; eius
arcis oppugnationem non segniter.
Quòd autem partiri exercitum , &
aliquas legiones in Lituaniæ visce-
ra immittere aut noluerit , aut non
cogitârit : stupor in primis mentis
quidam cælitùs immissus ea consi-
lia ademit ; tum castra , quæ Radi-
vulus ad Krasne munierat ; & ex-
cursiones circa Iefiennam aliisque
circa hostiles stationes locis felici-
ter tentatæ. Ita exiguo milite (nam
trium millium numerum non attin-
gebat) totam illam belli molem in
aliquot menses sustinuit : obseßisq;
semel ac iterum commeatum sub-
ministravit. Superuenire inter-
ea vniuersæ cum Vladislao Rege
Hluszycam copiæ: quibus per Bo-
rysthe-

rysthenem transportatis , cùm in
conspectu hostium signa prodijſ-
ſent , iubente ſpectanteque Rege
aduersus hostem Christophorus
duxit : atque repagulis ligneis , cæ-
terisq; impedimentis magnâ forti-
tudine submotis , viam reliquo mi-
liti aperuit. Ita cùm in Pokrouienſi
monte pugnatur , ſeptemque millia
hostium cæduntur , medias inter ho-
ſtium ſtationes , commeatus ac pre-
ſidium arci leuandæ neceſſarium , in-
troductum eſt. Adfuit eidem
bello Dux IANVSSIVS RADIVI-
LVS Christophori filius , cum inte-
gra legione , tunc M. D. L. Supre-
mus Camerarius : opportunè ſub
Parente tyrocinium militare poſitu-
rus , cuius in Caſtris & Senatu ſuc-
cessor futurus erat. Adfuit etiam
Sigismundus Dux Radiuilus Eques
Meli-

Melitensis memorabili fortitudine
suâ , legionisq; suæ , in occupanda
retinendaq; montis Skowronkowa
dicti statione. Pleraque deinceps
eo bello ex Vladislai imperio Dux
Christophorus Radiuilus Lituaniæ
Generalis (nam Campestris Polo-
niæ Dux interiora Moschouiaæ pe-
tierat) administrabat : ac præsertim
cùm Smolenscum inter , & castra
Sehinij ad fanum Schismaticum sta-
tionem positam fortiter oppugna-
uit , hostes commeatum intercipe-
re tentantes reiecit , leges pacis in
suis Castris capto hosti , poneret ;
exeuntibus in Moschouiam legio-
num Ducibus , Victoris Regis co-
lendi modum præscriberet , legatis
in perpetuorum foederum tractati-
one circa titulos tergiuersantibus ,
admotâ ferro dexterâ silentium im-

pone-

1634.
Junij 13,

poneret ; à Sehino duodecim tormentorum campestrium dono honoratus. Pax tandem perpetua cum hoste conclusa , ijs legibus, ad quas præsentia suâ & consilio multum contulit Dux Christophorus. Eum gratus operæ Vladislaus Rex in comitijs vtriusq; gentis , Supremum Magni Ducatus Lituaniæ Exercituum Ducem renunciauit. Interea Sueticarum induciarum exspirante tempore in Liuonia rursus bellandum erat. Agebat non segniter rem Dux CHRISTOPHORVS RADIVILVS, neque infelicitter cedebat expeditio , pluribus castellis hosti detractis ; sed Sueci victoris Regis fortunam , in Prussia reueriti pacem vrgebant. Itaq; quorundam factione per absentiam Lituanorum , ea pax , in viginti sex annos

annos constituta est ,^a quâ Polonis 97
Prussia recuperata , Liuonia in toti-^a 1635.
dem annos Suecis prorita. Inge-
muit Dux Radiuilus ad eum nunci-
um , sed iactâ semel aleâ , euentus
improbari poterat non corrigi. Pa-
ce vndique stabilitâ , Regio jussu ,
Annam Sueciæ Principem , Sigif-
mundi III. sororem , pridem fatis
functam , magnifico apparatu , pro
Rege , ad funus in Prussia extulit.
tumulauitque.^b Heros erat in li-^b 1636.
bertatibus , moreq; patrio tuendo ,
contra nouarum in ciuilibus nego-
tijs rerum molitores inuictus. His
quoque annis habuit , quæ aliquo-
rum ingenio adinuenta , plerorum-
que magnatum plausu excepta^c fo-^c 1639.
lus ille suâ eloquentiâ , ac constan-
tiâ , discuteret ac impediret. Hu-
manitate cæterisque viri Principis

N

orna-

^{d 1640.} ornamentis , summis æquè ac infimis ; carissimus : ita vt cùm tandem viuis erexitus esset ^d ij etiam , quos studiorum , sententiarum ac religi- onis diuersitas æmulos fecerat , ma- gno Patriæ damno palam indolere , sint audit. Reliquit ex Kiszcza- ka Ducem IANUSSIVM RADIVILVM , Sa- cri Romani Imperij Principem , Du- cem iu Birze .

Hic auunculo suo Ianussio Ki- szka Palatino Polocensi , ad supre- mam militiæ M. D. L. præfecturam eucto , collega additus est ; Campi dux à Vladislao IV. creatus , vt glo- riosissimi Regis sententiâ , bellis Dux datum , eiusdem Regis fortunâ pugnaret ac vinceret . Neq; spem euentus destituit : vti sequentes anni docebunt . Interea amissâ pri- ore Coniuge Potociâ , cùm vndiq;

pax

pax arma stitisset, ad firmandam pro
le Domum Daciæ Principis (vulgò
Valachiæ Palatinum dicimus) fili-
am , in connubium accepit : Vigiliarum M. D. L. Præfecto Mirscio ,
& Ioanne Mierzenski Vilkomirien-
si Mareschalco , viro insignis pru-
dentiæ , ac in tractandis negotijs
miræ felicitatis allaborantib⁹, vt qui
personam Ducis sustinerent , rem ex
eiusdem voto fortunatissimè pera-
gerent . Accessit deinde Ducatus
Samogitiæ Suprema Præfectura ^e : ^{e 1647.}
tum ipsius illius nobilitatis , liberis
suffragijs , tum Regio consensu , non
multò ante mortem delata . Sequēs
annus ^f vt Vladislai Regis morte ^{f 1648.}
funestus , ita rebellium Cosacorum
motibus turbulentus Radiuillianæ
virtuti campum aperuit . Cūm e-
nim Supremo militiæ Lituanae Du-

99

N 2 ci ,

ci, ætas ac valetudo impar iam tan-
ti belli curis esset , vniuersa seruan-
dæ Lituaniæ moles Duci IANVSSIO
RADIVILO incubuit. Quare ad primos
profligati circa Corsuniū Poloni cū
Ducibus , exercitus rumores : quâ
in Lituaniam pronior hosti passus ,
Vigiliarum præfectum cum expe-
ditis cohortibus (quibus Ducum
Radiuiliorum Alexandri Neßwiesi-
ensis , Mareschalci M. D. L. & Mi-
chaelis Klecensis , turmæ equestræ
accederunt) præmisit ; iussum ul-
tiores progressus hostiles remorari.
Interea cùm stipendiarius miles le-
gitur , contrahiturq; , Comitia quo-
que nouo Regi creando indicta ma-
turuerunt. Quare cùm & Litua-
niæ fines ad arcendas excursiones ,
& Comitorum securitas , præsidio
egeret , copias partiri necesse fuit.

Renun-

Renunciato feliciter Rege IOAN-
NE CASIMIRO , rursus contra-
ctis in eadem castra cohortibus ,
primùm per legatum suum Mirsci-
um , Pinscense municipium , vt fre-
quentiâ , opibusque potens , ita vi-
rium confidentiâ locique opportu-
nitate ad obsequium contumax , si-
gnisque collatis concurrere pro val-
lo ausum , in fugam egit , cepit , ac
propè excidit : tum ipse inoffenso
pede victoriam & arma circumfe-
rens ^a Turouia , Mozyro , Bobroy-
sko , Rzeczyca potitus , præsidia
hostilia cum præfectis deleuit ; re-
belles oppidanos ad officium coe-
git . Trans Pripetium , Soszam ,
Borysthenemque fluuios , exacto
hosti cùm circa Loiouum instat :
quadraginta millium armatorum ,
ductore Krzyczeuio repentino im-

101

^a 1649.

petu ,

^b
Iulij vlt.

petu , necdum permunitis castris
deprehensus , exiguis copijs (nam
magnam partem ante paucos dies
hosti vestigando dimiserat) tantam
multitudinem ab aggere reiecit , a-
liquot locis uno die cecidit , cam-
po depulit , impedimentis omnibus
machinisque bellicis exuit , vallo
ac castris exegit.^b Ductorem ip-
sum profligati exercitus saucium &
captiuum , fortunae suæ , quam te-
merè irritauerat , supplicem procu-
bentem habuit. Circa extremos
Lituaniæ in Russia fines , RADIVI-
LO Duce pugnatum feliciter fue-
rat : at eodem ictu hostis etiam ibi ,
vbi propè triumphabat , victus est.
Tauricanus enim Regulus , belliq;
fax Chmielnicius , bellatorum mul-
titudine , & rerum successu elati ,
cùm

cùm ad Zbarasium Zborouumq; 103
nihil nisi cædem spirarent , ac opi-
ma spolia ex huius clavis nuncio
attoniti,arma insperatò dimiserunt,
pacemque & foedera maluerunt. ^{ee}
Exiguum illud fœderum inter-
uallum , vt alijs curis , ita victori-
bus securè ornandis spatium Rei-
publicæ dedit. In Comitijs vtri-
usque gentis Varsauiensibus , ob res
è publico voto gestas , laudatus est
magnificè Dux RADIVILVS. Ne
verò quispiam inuidus leuem eum
sonum popularis auræ fuisse puta-
uerit : perpetuarum legum monu-
mentis, Ordinum decreto insertus,
ad æternitatem seruatus est; & Ne-
uelij ac Siebiesij collato dominio de
rebus voci adiectum momentum.
Hâc grati animi à Republica pro-
fecta

17. Aug.

104 fectâ satisfactione , ad vltiores
pro Patria ausus auctoratus Dux
IANVSSIVS , vbi hostilis in colen-
dis , in quæ jurauerant , foederibus
constantia cum niuib[us] ac hyeme
primo vere defluxit , bellum rursus
d 1650. aggreditur.^d Prælusit Tribunus
Pawsza, Owruicio & Nurinsko mu-
nicipijs excisis. Successit ipse
Princeps : & quidem Pripetij a-
mnis ripas ac viciniam , ab hoste
perpurgandam Vincentio Coruino
Gosiewski , legato commisit : ipse
quà robur præsidiorum hostilium ,
ad Soszæ ostium duxit ; vtroque
loco victor. h[ic] suo ductu , ibi au-
spicijs. Nam circa Pripetium ho-
stis quà occurrere ausus fuerat pro-
fligatus , totâ eâ orâ fugâ se in tutio-
ra eiecit: ad Soszam verò eodem die
infi-

in signis munitio hosti erepta: & 105
Niebaba Tribunus Czernihouien-
sis veteranus cum quindecim
millium delectis copijs, perditas
res isthic restituere improviso in-
fultu conatus, vitam & exercitum
amisit. His passibus ad ipsam re-
bellium sedem, Russiæ vniuersæ
Metropolim, Kijouiam, peruen-
tum. Parabatur impigrè oppu-
gnatio. Verùm duces hostium,
Orkusza cæteriq; toties victorem
experti, maluerunt sibi à fuga,
quàm vrbi ab armis, præsidium
quærere. Dedentibus se ciuibus,
& clementiam implorantibus, pax
non negata. Ita vrbs capta olim
à Polonis Regibus, ac mox sibi,
cùm florentes adhuc res Russiæ ef-
fent, restituta, ante trecentos dein-

O de

de & triginta annos, Duce Gedimino armis Lituanorum , simul cum vniuersæ Russiæ viribus debellata : ante octoginta annos à Magno Ducatu Lituaniæ sub Sigismundo Augusto , Poloniæ Regno consignata: rebellium Cosacorum nuper factio- nem secuta , arma Radiuiliana ex- periri ausa non est. Imposito illi præsidio , castrisq; cum copiarum parte , isthic permunitis , reliquum exercitus robur cum Polonorum Ducum copijs , **D V X RADIVI- LVS** coniunxit. Quanquam ve- rò toties partiri copias sit coactus , integrum tamen vbiique fortunam **RADIVILIANÆ AQVILÆ** reli- quit. Ad Lubeczum finibus Li- tuaniæ , impedimentisque castre- sibus, præsidio Fronckieuicius reli- ctus

Etus , diuturnam hostium oppugnationem ex florentissimis Prouincijis vltra 40. millia velut ad certam prædam collectorum , fortissimè sustinuit : donec ipsâ per se desperatione expugnationis tanta multitudo succubuit. Ad Kijouiam Samuel Komorowski, semel iterumq; quâ vi, qua astu vrbe potiri tentantes , felicissimè profligauit. Ad ipsam denique belli sedem Bialocerkwiam , cùm instructæ vtrinque ad pugnam acies constitissent , RADIVILVS Dux cum dexterâ alâ , in qua Lituanus miles erat , prælium orsus , oppositas hostium legiones , magnâ cæde editâ , campo mouit , in fugam vertit, infestaq; signa prope ipsis castrorum sepimentis intulit: Si cæteris eadem fortitudine

107

O,

ac

108 ac alacritate , quā Dux Radiuilus
cum suis præiuerat , ab altera parte
in hostem procurrere animus fuisse:
multis opinio hæsit , futurum
fuisse , vt hostis eo die debellaretur.
Verūm quidquid tandem ad absoluendam
victoriam eo die fraudi furerit:
euentu ipso docemur , Diuinæ , quæ consilijs supereminet hu-
manis , menti placuisse : huius quo-
que anni expeditionem insignibus
victorijs auctam , non hostili clade
ad summum educere , sed fœderi-
bus corrumpere . Vt dum toties
in suspectam pacem coitur , bel-
lum tamdiu nutriatur : donec desti-
nata eius consilia , ad maturum de-
uenerint . Anni sequentes , quia
ita rem suam agebat hostis , vt fœ-
derum fidem , penes solos Polonos
esse

1651.

1652.

esse vellet , ipse velut solutus omni
religione hauriendi sanguinis
rapinarumque occasione inhia-
ret , non incruenti Poloniæ limiti-
bus fuerunt , A Lituaniæ finibus
quod auctoritati & vigilantiæ Du-
cis Radiuili tribui debet , ferè ab-
stinuere per eos annos , perduelles .
Circa eiusdem belli initia , cùm for-
tè BOGVSLAVS RADIVILVS ,
Ianussij Castellani Vilnensis & Mar-
chionissæ Brandenburgicæ filius ,
Dux Dubinkorum & Slucij , Ma-
gni Ducatus Lituaniæ Comes sta-
buli , in Gallijs ageret : ne absens &
securus , suorum pericula à longe
audiret , quamprimum in Patriam
redijt : totoque eo bello Equitum
haftatorum cohortem in Lituaniæ
exercitu habuit : ipse cum integra
legio-

legione Regem , Castraque Polona
secutus : vbi celebri illo ad Bere-
stecium prælio ac victoriâ , totius
externi Equitatûs , in media acie
Ductor fuit. ALBERTVS quo-
que Dux Olycæ , M. D. L. Can-
cellarius, quamquam non mediocri
damno , tum in Pinscensis territo-
rij præfectura , tum in ipsa Olycensi
ditione , à rebellib⁹ accepto , pro-
prijs stipendijs cohortem in Regijs
castris habuit. Is enim semper ab
antiquo Radiuiliæ Genti mos ,
aut opibus suis (cùm ipsi alijs
Reipublicæ negotijs distinentur)
comparato milite hostem propul-
fare , aut legionibus ac exercitibus
integris Præfectos , bella fortiter fe-
liciterq; administrare. Hinc factum
est , ut nulla toto M. D. L. familia
sit ,

fit , in quam plures maioresque , ci-
uiles æquè ac sacros , militares , Se-
natorios honores cumulatiūs con-
gestos numeremus. Alibi vnum ,
alterumvē Supremum M. D. Litu:
Exercituum Ducem , aut Palatinum
(gradus hic , inter ciuiles , primus
à Rege in Lituania est) Vilnensem
habuisse , ad maximum familiæ
splendorem sufficit: in hac Illustris-
fima gente propè perpetua hæc di-
gnitas est. Ad hoc gentis suæ ,
Magniq; Ducatus Lituaniæ hono-
rum fastigium , cùm auitarum vir-
tutum imitatione DVX IANVSSI-
VS RADIVILVS , felicibus auspi-
ciis ascenderit :^a vbi ille Honorum ,
Meritorumq; Gentilium , compen-
dium in se orbi præbuit , ibi ego
fausta omnia , ac in primis absolu-

tam

tam debellati hostis victoriam, &
publico voto precatus, Compen-
dio Historiæ Lituanæ ita fastigium
impono, ut simul ad Radiuillianos
triumphos in ipsa Historia copio-
sius narrandos calamum transferam.

Superi & gesta dent pro meri-
to celebrare, & cele-
branda auge-
ant.



Stonis
Radis S.R.I.
Princ. Dux in
Olika et
Mer.

Michael
Raduulus S.R.I.
Princeps Dux Kle-
censis
Capitan Wis
supremus

Boleslaus Ra-
dumius S.R.I.
Princeps Dux in Lit-
uanie & Slobodz
Comes Slobodi
M.D.L.

Janusius
Raduulus S.R.I.
Princeps Dux in Bir-
ze Palatinus Vilnensis
Excor M.D.L. Dux Cam-
Domensis Novell
& Sievior

Janusius
Raduulus S.R.I.
Princ. Dux in Du-
lunki Castellanus
Vilnensis.

Christopherus
Raduulus S.R.I.
Princeps Dux in Bir-
ze Palatinus Vilnensis
Excor M.D.L. Dux
supremus

Nicolaus
Raduulus S.R.I.
Princeps Dux in Bir-
ze & Vilniki Palati-
nus Vilnensis
Naugrodensis

Barbara
Raduulia Regina
Poloniae M.D.L.
Lithuanie

Nicolaus
Raduulus S.R.I.
Princeps Dux in Dubna
Ki & Birze Palatinus
Castellanus Vilnensis Dux
supremus Excor M.D.L.
Gouvernator Lithuaniae

Ioannes
Raduulus Dux
in Coniadz Suprem
Capitanus Ducatus
Samogitia reliquit
filias

Nicolaus
Raduulus Dux in
Moldavia & Genida
Palat. Vilnensis
Cancell. N.D.L.
Lit.

Albertus
Raduulus Episco-
pus Vilnensis eius
nominis nro ordine
Xmus

Georgius
Raduulus Castella-
nus Vilnensis Exerci-
tuum M.D.L. Dux
supremus

LINEA MASCVLA
Illustrissimorum Dicunt
RADZIWIT
quorum scela in falsis Rad-
ziwianis memorantur

Nicolaus
et Albertus
Raduulus S.R.I.
Princeps in pueri
a mortui

Michael
Dux Raduulus
S.R.I. Princeps
Dux in Olika
& Nic. M.D.L.
Capitan Wis
supremus

Ioannes
Raduulus S.R.I.
Princeps Dux Kle-
censis
Capitan Wis
supremus

Michael
Raduulus S.R.I.
Princeps Dux Kle-
censis
Capitan Wis
supremus

Ioannes
Albertus Radu-
lus S.R.I. Princeps
Dux Klecensis
Cancellarius

Albertus
Stanislaus Dux
Raduulus S.R.I. Prin-
cipeps Dux in Olika M.D.L.
Cancellarius

Albertus
Raduulus S.R.I.
Princeps Dux Kleceni-
us Marschal M.D.L
supremus

Stanislaus
Raduulus S.R.I.
Princ. Dux in Olika
Capitan generalis
Samogitia

Nicolaus
Raduulus S.R.I.
Princeps Dux in Olika
K & Birze Palati-
nus Vilnensis Cane-
llary Can. et Mai-
ster M.D.L.
Gouvernator Lithuaniae

Ioannes
Raduulus Castel-
lanus Tracensis
Exercituum M.D.L.
Dux supremus

Nicolaus
I
Raduulus Palatin
Vilnensis M.D.L. Can-
cellary & Scrittu Dux
Comunx Anna
Morawitza

